



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



36.E.61.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK  
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

---

36.E.61









SAMUELIS  
STRIMESII  
EPICRISIS

IN  
DNI SAMUELIS  
PUFENDORFII  
SPICILEGIUM  
CONTROVERSIARUM,

*Circa*  
JUS NATURÆ  
MOTARUM;

Und  
Cum Appendice

Contra  
CLARISSIMUM VIRUM  
Dn. JOH. JOACH. ZENTGRAVIUM,  
*Profesf. Argentoratensem.*

---

FRANCOFURTI ad VIADRUM,  
Apud JEREM. SCHREY, & HENR. JOH. MEYERUM.  
*Typis JOHAN. COEPELII, Acad. Typogr.*  
ANNO M. DC. LXXXII.







*Generosissimo, maxime*

*Strenuo atq; Fortissimo*

DOMINO,

DN. GEORGIO

ADOLPHO de MI-

CRANDERN,

*In Exercitu*

Augusti Electoris Brandenburgici

CHILIARCHO,

&

Præsidiariorum Militum Franco-  
furtensium ad Oderam

PREFECTO INCLYTO;

Itemque





Itemque

*Nobilissimo atq<sub>3</sub> Ex-*  
*cellentissimo*

DOMINO,

**D N. PAULO**  
**FUCHSIO,**

Serenissimo Electori Brandenb.  
à Consiliis Secretissimis,

*Dominis atq<sub>3</sub> Patro-*  
*nis suis maximè Colendis.*

Domi-

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

GRADUATE COURSE

PHYSICS 311

CLASSICAL MECHANICS



## Domini atq; Patroni

*faventissimi.*

**H**OMINIS STATUM,  
BONUM, SOCIE-  
TATEM & MO-  
RES, hæc quatuor,  
pagellæ præsentis exposi-  
tum eunt vindicatumque,  
æquorum Judicium pariter  
atq; Patronorum indigæ,  
interim felicissimæ, quod  
quibus sic indigent, istis per  
VOS, Patroni *Estimatisimi*, abun-  
dè sublevantur, eoque vel

X4 su-

supra votum semet eniti  
posse confidunt. Enim-  
verò AUGUSTI PRINCI-  
PIS nostri, Hominum, im-  
perio ejus à Deo commis-  
forum, *Status, Boni, Societatis Mo-*  
*rumque* MODERATORIS  
Optim. Max. uterque Ve-  
strum Ministri, Virtuti-  
bus Muneribusq; splendi-  
dissimi, actionum vestra-  
rum omnium scopū V.O-  
bis unice præfixum habe-  
tis, idque serio operam da-  
tis, quò Illo Duce, felicis-  
simus Hominum *Status* per  
*Bonum Iustumque* exurgat,  
cunctæque hominum So-  
cietate.

*cietates, Virtutibus & Moribus*  
ad Dei imaginem refo-  
rmatæ atque expolitæ (quæ  
Divinæ Gloriæ, à Mortali-  
bus illi debitæ, summa est)  
vigeant floreantq;. Tu  
quidem GENEROSISSIME  
DNE. CHILIARCHE, opti-  
mis quibusve literis atque  
artibus, ( quas hic denuo  
enumerare religioni du-  
co, probè adhuc memor,  
verecundi, quò genæ Tuæ  
nuperrimè, cùm simili oc-  
casionè Ordinis mei Vir-  
magni Nominis, Te pu-  
blicè compellaret, suffun-  
debantur ruboris ) ad stu-

) ( 5 po-



porem imbutus, prædicto  
scopo Marte potissimum,  
quoties id ab AUGUSTO  
nostro juberis, totus im-  
mines, *Statum* Hominis Cor-  
ruptum Justitiæ atqve *Bo-  
nitati; Societates* decentibus *Mo-  
ribus* redditurus armis, præ-  
liisq; justo pacem reductu-  
rus. Tu vero, ELECTORA-  
LIUM SECRETORUM DO-  
MINE CONSILIARIE EX-  
CELLENTISSIME Juris & æ-  
qui quodam Antecessor Pu-  
blice celebratissime, ad eã-  
dem Arte potiùs atq; con-  
siliis saluberrimis (quibus  
cum magno Germaniæ &  
Pa-

Patriæ nostræ comòdo ac  
emolumento Te nunquã  
non pollere novimus om-  
nes ) impigrè grassaris;  
*Statum* Hominum, ad Ma-  
lum proclivem, nimirum  
quàm proclivem, cum *Bo-*  
*nitate*; *Societates* humanas, quã-  
doq; bonorum *Morum* im-  
patientes, cum Virtutibus  
quàm artissimè conjun-  
cturus, & bellum injustũ  
cum pace piã commutatu-  
rus. Quibus studiis Ve-  
stris efficitis uterqve, ut  
Clientis Vestri animus spe-  
ducatur certissimã, Vos  
etiam pagellarum harum,  
Ho-

**Hominis STATUS, BONI,  
SOCIETATIS MORUMQUE  
Vindicum, æquissimos Ju-  
dices non minùs, quàm  
Patronos benignissimos  
(quo nomine nunc Vos  
exoratum unicè venio)  
haud gravatim futurose-  
se. Equidem chartaceos  
memoratarũ rerum Vin-  
dices **VOBIS** affero offe-  
roque, qui opere ipso fa-  
ctisqve vestris istas fove-  
tis atqve sustentatis; . At  
nemo litigium chartace-  
um vel Judicio æquiori  
dirimere, vel patrocinio  
fideliori : profegvi aptus  
est,**

est, quàm qui ejusdem notitiam non è chartis tantum vel libris, sed prudentiori rerum usu atque moderatione edoctus est. Admittite itaque serenâq; fronte respicite Vindicias has, quæ judiciô vestrô atque clientelâ unicè stare & foveri optant, Autorem earum, quâ hæcenus consuevistis, benevolentia, nunquam satis dignè promerendâ, complecti pertendite, de Numinis Cœlestis gratia atque favore, quibus cœptis vestris aspirare nunquam de-

desinet, securi, eô quippe  
nomine indefesis atqve  
supplicibus precibus à Bo-  
nis omnibus flectendi co-  
gendiqve, qvos pro virili,  
dum Spiritum trahet, æ-  
mulari contendet

**VESTRUM**

*Observantissimus*

**SAMUEL STRIMESIUS.**

*[The text in this section is extremely faint and illegible due to the quality of the scan. It appears to be a list or a series of entries.]*

# Controversiæ TRES

Cum *Celeb. Pufendorffio,*

Et UNA

Cum *Clariss. Zentgravio,*

Quatuor sequentium Disputationum Publicarum materia sunt.

I. De Statu Hominis Naturali.

II. De Bono & Malo, in modo concipiendi nostro Voluntate divinâ prioribus.

III. De Socialitate, inadæquato Moralitatis Principio.

IV. De Imputabilitate, Moralitatis Subjectivæ Formali.

*Respondentib. Dnis*

JONA JONSTONO, Glogâ Silesio.

BARTHOLDO *Soltsfus/Rügenvald.*

Pomerano.

BARTHOLDO FRIDERICO OPPERMANO, *Cros. Silesio.*

ADOLPHO FRIDERICO *Sandwitz/Francof. Marchico.*

Est



**S**i, cum primū  
 animum ad scribendum appu-  
 lissē, id mihi negotii cum-  
 primis credidi dari, quō The-  
 ma seligerem, scripturientium  
 libidini, aculeis atque calumniis minū expo-  
 situm, quāle Moralia, solā suā gravitate atque  
 reverentiā lasciviam omnem pellere apta na-  
 taque, non prāter rem fore arbitratus sum;  
 tamen cuncta pro dolor aliter evenire post-  
 liminiō intellexi, nec quicquam in Virtute  
 tuti prāsidiū superesse. Enimvero, simul ac  
*Praxiologia* mea & *Origines Morales*, soli im-  
 pietati Hobbessianæ oppositæ, in lucem pro-  
 dierant, Veritatisque amore illectæ, hinc inde  
 quæ ad Disciplinæ hujus nitorem facere vide-  
 bantur, modestissimè monuerant, haud obli-  
 tæ, quodnam scribendi genus semet potis-  
 simū deceret; Protinus contra easdem  
 scommatibus insurrexit non tantū, qui me-  
 cum Jus Naturæ partim à scoreis Scholasticis,  
 partim ab Hobbessianis Atheismis vindicare,  
 A  
 pristi-



pristinæque luci reddere pro virili annitur,  
*Clarissimum Dn. Alberti* intelligo, *Theologia &*  
*Philosophia Profes. Lipsiensem*, in *Notis* 100. &  
 150. *Paraneleos* suæ, Pufendorffio novissimè in-  
 tentatæ, aculeos, quibus me antehac petierat,  
 indecorâ tergiversatione & Responsi mei, *Di-*  
*sputationi Antifeligmanniana* præmissi, dissimu-  
 latione, Doctore Juris Naturæ planè indignâ,  
 adaugentem; sed etiam qui Moralistarum,  
 primipilus hodieque salutari cupit, *Nobilisf.*  
*Dn. Pufendorffius*, isto titulo non omninò in-  
 dignus, nisi eodem semet defraudaret ipsum,  
 dum Controversias Morales tractaturus, in  
 petulantiam & maledicendi lasciviam sese to-  
 tum effundit, tantaque diceriorum, oppro-  
 briorum & suggillationum plaustra in dissenti-  
 entes evomit, ut hujus generis scriptoribus fa-  
 cilè palmam præripuisse & tantum non omnè  
 pudorem attrivisse videri possit. *Quarum*  
*Rerum* ego maxima documenta habeo, præ-  
 ter cetera, cum *Specimen*, tum *Spicilegium Con-*  
*troversiarum*, ab ipso in lucem edita & erudi-  
 torum conspectui exposita. Equidem mi-  
 rantur quamplurimi, idque non leviter, acer-  
 bitatem scribendi, quâ etiam adversus me,  
 magnâ subinde veneratione tum *Autorem*,  
 tum

tum libros ejus in scriptis meis prosequentem, *Spicilegiò suo* insurgit. Etiam qui perspicuitatem & floridum dicendi genus probant, improbant tamen aculeos, scommata atq; convitia, quæ citra modum & infra dignitatem suam passim admiscet *Pufendorfius*. Certè præter nonnulla partim ingenii, partim eloquii haud inficeti lineamenta, quæ in scripto isto apparent, subacti & defæcati judicii vestigia pauciora; modesti autem & mansveti, moribusque Ethicis imbuti animi vestigia vix ulla reperias. Aded convitiis scatent omnia, & quæ modicè adhibita gratiæ nonnihil lectioni foenerari potuissent, ea immoderatè congesta quemvis bonum offendunt. Ego quidem hæc minùs miror; interea in *Pufendorsum* illud verissimum deprehendo, quod Plato alicubi ait; mansvetudinem & *μανεσθουλιαν* rarò reperiri in his, quibus acrius nonnihil ingenium contigit.

Possent fortè, quæ in *postremo Spicilegii Capite* adversus me falsè dicuntur, alio sale confricare, sed hæc parte *Pufendorfi* dissimilis esse & acceptâ injuriâ ignoscere, quàm persequi malo, ne convitiis operosè respondendo, agnoscere videar, quæ in me congerit, præfer-

A 2

tim

tim cum Moralistarum sit, ea dictis, factis, scriptisque sectari, quæ ad modestiæ & humanitatis studium faciunt. Qui rationibus impar est, sufficere credit, si stomachum moveat, & dissentientibus labem atque maculam inurat. Et cui bonæ artes desunt, clamoribus & debacchationibus contendit. At Causæ suæ robore nisus, sputa ista ridet, ceu ægri animi indicia, nec magis commovetur, quam si insanus, delirium patiens, in faciem sibi inspuat.

Quod superest, meliorem *Pufendorffio* mentem precor, & ne, quæcunque adserit, ea, teu Edicta prætoris adorari, atque Oraculorum adinstar sine suffragio recipi gestiat, neve in immodicam sui admirationem abreptus, alios omnes ceu fungos & triobolares fastidiosè cõtemnat. Si rationum pondere victo mihi succumbendum erit, non inglorium arbitror à Veritate vinci. Interim Benevolus Lector, si quando dicendi scribendique flosculos *Pufendorffianos* me collegisse, & jacula mihi intentata in ipsum utut invitè & adversante naturâ retorsisse adverterit, haud irascetur, id solùm operam danti, ut *φιλῆται* respondeatur secundum *φιλῆται* ejus, ne sibi solus in oculis suis sapiens videatur.

Cete-

Ceterum trium Controversiarum discussione tota nostra finiatur Dissertatio, tertium *Spicilegii Pufendorfsani* Caput æmulata. *Prima* Status Naturalis, Veteribus Atheis seu Autoribus debiti, (*Teste Platone lib. 2. de Republ.*) ab *Hobbio* novissimè ex orco in lucem revocati, à *Pufendorfo* variè interpolati, à me verò in scriptis Moralibus jure oppugnati absurditatem exponet. *Secunda* Boni & Mali, etiam ad humanam Naturam restricti Ideam, Voluntate divinà, secundum modum nostrum concipiendi, priorem asseret. *Tertia* deniq; Socialitatem inadæquatam Moralitatis Principium esse ad oculos demonstrabit. *Prima & Ultima* Controversia binis; *Intermedia* decem; in universum omnes quatuordecim comprehenduntur paragraphis, quò sic *admodum Pufendorsum* secuti, Paragraphum Paragrapho expendisse intelligamur.

§. I.

**N**obilissimus *Dr. Pufendorfsus* Statum suum Naturalem ab Absurdis, quibus premi deprehenditur, vindicaturus, primò omnium cõqueritur, *sibi de meo affingi, quòd Statum tantum Corruptum & ab omni Integritate alienum supponat;* Cum contrarium hujus à se expressè doceatur, de *Jure Nat. & Gent. Lib. 11. C. 1. §. 51. & Lib. 11. cap. 2 §. 9.* Ob id

A ;

in

in antecessum *Pufendorfo* ostendendum erit, nihil omnino de meo ipsi affingi, adeoq; immeritò eum conqueri, neque locis à se allegatis contrarium doceri. Etenim de hâc ipsa absurditate Statûs Naturalis ab alio monitus, in *Apologia pag. 53.* eundem abstrahit à Statu Integritatis, & considerat hominè, prout nunc est, *Qvod (Prout nunc est), in Praef. de Officio Hominis* ita explicat: *Prout ipsius Natura est Corrupta, & prout est Animal multis pravis Cupiditatibus scatens.*

Quibus verbis utiqve Formale Objectum exprimit, seu Principium Cognoscendi adæquatum, sub quò Hominem hîc considerandum cupit, clariùs ac latiniùs haud exponendum, quàm per *tò tantum.* Id quod demonstrant omnes omnino Disciplinarum omnium Definitiones, Formalia Objecta complexæ, eaqve particulis *quæ, prout & similibus* interpretatæ, quibus denotant, Objecta hòc tantum, i. e. certò ac definitò, non aliò modò, in Disciplinis consideratum iri. Ut sic nihil de meo affingatur *Pufendorfo*, sed ab ipso incautè atqve perperam assertum annotetur solummodò, & quibus absurdis laboret, eò, quò par est, modo, doceatur. Horum contraria etsi se tradidisse gloriatur locis à se allegatis; nihil tamen istiusmodi in iis reperitur. Nam locò priori, Statûs Integri; posteriori, Corrupti unà cum reliquiis Descriptio assertur, secundum quas reliquias si Hominem considerare voluisset; dicendum utiqve ipsi fuisset, se consideraturû Hominè, nò prout *scatet, & prout corruptus est*, sed prout, licèt corruptus sit, tamen adhuc gaudet reliquiis imaginis divinæ, vel prout ratio-

ratione pollet, eaque uti potest, sedve Dictatis Ratio-  
 nis morigerum præbere. Quod si tamen alibi ali-  
 ter docuerit, alibi etiam applausum merebitur;  
 Quamquam sic opus habebit semet à Contradictione  
 liberare. Evenit idem *Hobbefio*, ut sibi ipsi haud ra-  
 rò adverteretur. Ubi sufficit, Lectorem de mente Scri-  
 ptoris ex iis locis iudicium ferre atque decernere, in  
 quibus hic ex professo Rē inquirere conatur. Hæc itaq;  
 Hypothesin fictā defendit Autor *in libro de Officio c. de  
 Statu*. Vel si non fictam, sed veram illam esse con-  
 tendit, Hypothesis ejus eadem prorsus evadet cum  
 Hobbefiana. At tales Homines in Sveciâ nasci non  
 crediderim; de Finnia, Laplandia &c. tale  
 quid ad nos fama perfert. Francofurti Ho-  
 mines nascuntur foederaliter sancti, naturaliter pec-  
 cato Originali inquinati; interim non bestia, sed  
 Ratione, h. e. principiis ejus actu imbuti. An præ-  
 ter hæc alia fingat nempe *Spicileg. p. 50. inf. p. 81. & 82.*  
*Pufendorfius, nò decebat accuratius expendisse Strime-*  
*sum*, utpote non figmentis aliorum considerandis,  
 sed veritatibus enucleandis destinatum; præsertim  
 cum (a) turpe sit juxta *Aristotelem* fingere, quando  
 fictionis nulla necessitas est. (b) Hujusmodi frivola  
 fingendi Ratio & rationali Creaturâ indigna Hypo-  
 thesis animum pervertat, ut ad fingendum compo-  
 natur, ejusque nec finem, nec modum inveniat; Quin,  
 mens & calamus advescant Humanum genus susq;  
 deq; habere, & se excepto, alios omnes fungos cōmi-  
 nisci; Qvale quid etiam in *Pufendorf.* jam tùm ac-  
 cidere & animum ejus in perversum agere, *Specimen*

& *Spicilegium* ejus abunde loquuntur. (c) *Strimefius*  
 nunquam in animo habuerit laceſſere *Pufendorſium*,  
 ſed potiùs, veritati inſenſum cum eadem conciliare.  
 Status primævus, num Integritatis, an Creationis vo-  
 citandus ſit, meum non facio litigium, qui in verbis  
 ſemper facilis eſſe conſuevi. Neque ad me quic-  
 quam: num Ethnici illam ſanctimoniam, quæ lapſu  
 primi hominis amiſſa eſt, ſciverint, num minùs, dum-  
 modò ſcire potuerint & adhuc poſſint: (1.) *Protopla-*  
*ſtos* bonos ex aſſe creatos, id quod ad *Alberti* hypo-  
 theſin refutandam ſufficit, (2.) in nobis reliquias ſu-  
 pereſſe bonitatis, quod ad retundendam *Pufendorſii*  
 hypotheſin utramque paginam facit, atque oſtendit,  
 non opus eſſe, ut in Jure Naturali tradendo Ho-  
 mo conſideretur, *prout corruptus eſt, & prout ſcatet*  
*multis pravis cupiditatibus*. Talem verò Notitiam  
 Ethnicis ſupereſſe, tam clarè probant teſtimonia  
*Mornai*, ut qui id negat, tantùm pro imperio neget,  
 & quod ipſe non vult videre, jubeat alios ignorare.  
 Quo quæſo pacto probabit unquam *D. Pufend.* teſti-  
 monia dicta tantùm iſtud, quod ipſe putat, innuere?  
 Haſtenus liquet, qualis Homo & cù quo Statu ſuppo-  
 nendus ſit in tradenda Diſciplina Jur. Naturæ, nempe,  
 non *prout corruptus eſt, ſed Homo corruptus prout gau-*  
*det reliquiis Imaginis divinae*. Ceterùm hæc contra  
 Autorem jam antehac ex profeſſo docuimus atque  
 evicimus, *Orig. Mor. pag. 179.* cujus rei cum nullibi  
 mentionem injiciat, apparet ipſum ſcripta mea, quæ  
 tantùm non omni humanitate exutà ſibi exagitanda  
 ſumit, valdè ſuperfunctoriè legiſſe. Hujusmodi in-  
 inquam,

inquam, Homo hic supponendus, non verò in Disciplina J. N. tractandus ex professo, sicut in Theologia Peccatum Originale. Ut inscientiam suam luculenter satis prodat *Pufendorf.* in constituendarum Disciplinarum dexteritate, quando *Juris Naturalis Disciplinam aequè imperfectam futuram* scribit, *si Doctrina de Statu Corrupto destituatur, atq; Theologiam, si Caput de Peccato Originali inibi omittatur.* Etenim Theologiam Christianam Scripturæ S. omniumque dogmatum tum fidei, tum morum adeoque Theoriæ, non minùs quam Praxeos Summam norunt, qui eam vel à limine salutarunt; Unde Tractatus de Peccato Originali æquè illi domesticus, atque Tractatus de fide vel bonis operibus, utpote Objectum partiale Theoreticum nò minùs necessariò, quam Theoretico-Practicum, aut merè Practicum complectenti. E contrario in Disciplina Practica, qualis Disciplina Juris Nat. est, quo omnino jure ex professo de Corrupto Homine agi possit, non assequor. Id interim clarissimè intelligo, non pari jure de hoc in Moralium Disciplina, quò de Peccato Originali in Theologia, disserendum; Imò verò, quò jure quaque perfectione de Corrupto Homine hic agitur, iisdem, altius ascendendò, de Homine Integro disserere cuivis licebit. Certè ratio prægnantior nulla in Disciplinam Juris Naturalis cadit, quæ efflagitet, ut de Statu Corrupto, quam ut de Integro inibi doceatur. De hoc interim rectè olim sic statuendum duxi: *Non attendi in Ethicis meretur Status Integritatis, alibi, nempe in Theologia iterum atq; iterum inculcandus.*  
*Prax. p. 85.* A 31 S. II.



§. II.

**A**Dhuc satis sana diximus, nec sano infaniora videbuntur, quæ ad §. 2. dicenda veniunt. Explicatam adhuc de Statu Hominis Naturali Hypothesin Pufendorf. quæ Rem cum Hobbesiana, licet non quæ modum coincidere, annotaveram *Prax. pag. 89.* idque ex ipsius *Pufendorfi* verbis conceptis, quibus Statum Naturalem (consideratum, prout intelliguntur Homines sese invicem habere ex nuda illa & communi Cognatione) alium per fictionem talem, aliū re verā existentem edocuerat, eidemque adstructo juramentum vindicaverat *de Off. H. & C. Lib. 2. cap. 1. §. 5. 6. & 8.* Dehinc quæ in hac ipsa Doctrina Pufendorf. desiderarem, pro libertate philosophandi, modestè tamen & citra omnem injuriam exposueram, tribus membris comprehensa. Ad hæc cum (1.) me *per summam injuriam idem cum Hobbesio se inculcare cõtendat arguere.* (2) *se effecturum gloriatur, ut omnes cordati intelligant, me quid carperem, non intellexisse;* ob id (a.) quo pacto & quousque cum Hobbesio conveniat aperiendum, ut intelligat, sibi à me nullam injuriam factam, (b) perlustranda, qualia ista sint, quibus se effecturum minatur, ut omnes cordati intelligant, me quod carperem, non intellexisse, quò hac ratione adducatur credere, se Cordatorum nemini id persuasisse, clarissimè autem omnes edocuisse, sagittas cunctas ex pharetra Thrasonica, Musarum Castris prorsus indigna, petitas esse.

Sententia HOBBSII de Statu Naturali ejusque Juribus Naturalibus nullibi clariùs exposita est, quæ in *Libro de Cive*

*Cive C.1. toto, cū primis Art. 10. & Annotatione Articulo*  
*subjecta, ubi cuncta in hanc Summā redacta legeris.*

(a) *Hominis Satum merè Naturalem, esse Statum*  
*extra Societatem situm, ad quam Societatem ipse a-*  
*ptus natus haud est, seu aptus non naturā, sed Discipli-*  
*nā factus est. Annot. ad Art. 2. (b) In hoc Statu quod*  
*quis fecerit, id injurium homini quidem nemini esse,*  
*cū antequam homines ullis pactis sese invicem ob-*  
*stringunt, cuicunq, liceat facere quacunq, & in quos-*  
*cunq, libet. Num. 10. & Ann. (c) Hic primò unicuiq,*  
*jus esse se conservandi per Art. 7. Eidem ergo jus esse*  
*omnibus uti mediis ad eum finem necessariis per Art. 8.*  
*Media autem necessaria sunt, quā ipse talia esse judi-*  
*cabit, per Art. 9. Eidem ergo jus est omnia facere &*  
*possidere, quā ipse ad sui Conservationem pertinere*  
*pratendit. Sic se habet Status Hobbesii Naturalis,*  
*propriis ejus verbis expositus.*

Lustremus nūc eundem à PUFENDORFIO descriptū:  
*Status, inquit, Naturalis, qui revera existit, id habet, ut*  
*quis cū aliquibus Hominibus peculiari Societate junga-*  
*tur, cum reliquis autem omnibus nihil prater speciem*  
*humanam obtineat commune, nec alio nomine quic-*  
*quam ipsi debeat. De Off. Hom. & Civis Lib. 2. c. 1. §. 6.*  
*Eorum autem qui in Statu Naturali vivunt (1) hoc est*  
*Præcipuum Jus, quod nemini praterquam DEO sint sub-*  
*jecti atq, obnoxii. Quo respectu etiam ille Status no-*  
*mine Libertatis Naturalis venit. (2) Cū porrò ho-*  
*mini Lumen Rationis sit insitum, quo pralucente Actio-*  
*nes suas temperare possit; consequitur, quem libet qui*  
*in Naturali Libertate vivit, in regendis suis Actionibus*  
*à nullo*

à nullo mortalium dependere, sed ex proprio iudicio atq; arbitrio omnia, quæ sana Rationi congruunt, agendi habere potestatem. (3) Et cum homo ob communem inclinationem, omnibus animantibus infirmam, non possit non ad Conservationem Sui &c. incumbere; inde in eo Statu quilibet ex proprio iudicio definit de aptitudine mediis, an ad Conservationem sui conducant, nec ne. (4) Ut tamen isthac propria sui Gubernatio rectè sese habeat, requiritur ut ea juxta dictamen rectæ Rat. legemq; Naturalem suscipiatur. §. 8. Quamquam (5) Status hic Naturalis, utus Libertatis nomine insigniter blandiatur, idem tamen antequam ab hominibus in civitates fuerit concessum, plurima habeat adjuncta incommoda §. 9. Hucusque Pufendorfii Status Naturalis delineatus.

Restat nunc utriusque Status Convenientiam atq; Discrimen annotasse. Convenientia eorum in Re ipsa, Discrimen in Modo situm est. Uterque Sociali Statui oppositus, Hominem à nemine præter DEum, dependentem facit, eique jus tribuit, ad omnia, Conservationi sui, se jndice, inservitura, idque juxta naturalem omnibusque animantibus infirmam legem; Quo pacto quam plurima absurda, tum ab aliis, tum à nobis Praxiolo. p. 87. & seqq. Orig. Moral. pag. 90. & seqq. Item pag. 176. & seqq. enumerata, incurrit. Cum primis autem in Genus humanum injuriosus existit, dum illud non ad superiorem dignioremque quam, de Corporis sui Conservatione, homini cum brutis communem Legem, alligatum arbitratur. Id, quod egregiè exponit Bœclerus: Male ergo Hobbes, Statum merè Naturalem

zuralem nominat & fingit, qualis non esset homine dignus, aut Naturalis humanus, sed belluis aptior, quarum Natura Rationem & Orationem ignorat. Nam ut omnibus omnia liceat agere, appetere, possidere, nulla est ratio, nulla natura, rectè atque integrè judicans, qua dicitur. Depravata Natura impetus ejusmodi esse possunt, non Dictata Rectæ Rationis. pag. 50. in Commentario ad Grotium.

In his verò Status Pufendorfianus ab Hobbesiano, eou modis, differre videtur: (a) quòd, an Status talis re verà detur, *Hobbesius* conceptis verbis haud edisserat, *Pufendorfus* hoc ipsum tueri haud vereatur. (b) quòd Pufendorfianus præ Hobbesiano Contradictionum fæcundus sit, quarum *Prima* est, Naturalem Statum, Sociali contradistinctum, id tamen habere, ut quis cum aliquibus hominibus peculiari Societate jungatur. *Secunda*: Statum Naturalem, utut id habentem, quò quis in eo cum aliquibus hominibus peculiari Societate junctus sit, tamen opponendum etiam isti Statui esse, quò quis Filius cum Patre junctus est, ceu Adventitio. *Tertia*: Hominem cum aliquibus hominibus peculiari Societate junctum, nemini tamen præterquam DEO subjectum esse. *Quarta*: In hoc Statu quemlibet ex proprio judicio atque arbitrio agendi habere potestatem, item, de mediorem aptitudine ex proprio judicio definire; nihilominus singulos juxta Dictamen Rectæ Rationis agere. *Quinta*: In hoc Statu singulos juxta Dictamen Rectæ Rationis agere, & nihilominus Statum hunc per se plurima habere adjuncta incommoda. Hæc sunt desiderata mea circa

circa Statum Naturalem Pufendorffianum, de quibus ut omnes Cordati intelligant nunc efficere, si Diis placet, conabitur, me, quid carperem, non intellexisse. Ad hoc, quod injuriosam in genus humanum hypothefin de Satu Naturali argueram, respondet: *Jurares istum Friderici Gesenii fraternitatem ambire. Talia refutationem non merentur, quæ scriptorem, quid scriberet, nescivisse arguunt.* Quasi vero (a) qui fingitur fraternitatem Gesenii ambire, hic quid carperet, non intellexisse dicendus sit; aut, qui fraternitatem Gesenii re verâ ambire deprehenditur, exinde omnibus Cordatis eo nomine innotescat, quod quæ carperet, non intellexerit. Cùm primis, cùm maximæ Cordatorum parti & Gesenius ipse, & id, in quo fraternitas cum ipso consistit, ignota sint. Gesenium qui norunt; Lutheranz fidei socium sciunt esse vel fuisse; Cujus si ego fraternitatem ambio, indequæ quæ carpo, non intelligo, quid cum D. Pufendorffio futurum sit, non potest esse in ambiguo, utpote qui in Doctrina licet Moralium illi adversarius, Fidei tamen fraternitatem cum eodem alit, nisi Lutheranz fidei schismata octodecim, à *Micralio Syntagm. Histor. Eccles. p. m. 1037.* enumerata, contra ejusdem votum decimo nono adaugere cupit. (b) Quasiverò, si dicas: *Talia refutationem non merentur, &c.* hoc ipso effeceris, ut omnes Cordati intelligant, Scriptorem, quæ carperet non intellexisse. Quis, quæso, cordatorum arbitrabitur Pufendorffium nudâ Principii Petitione hujusmodi quid efficere posse? Ad id imaginandum animo fictionibus deditissimò

tissimo opus est, qui cum *Pufendorfo*, etiam si haud adseqventi, quid culpaverim, temerè tamen jurandum censeat, me fraternitatem *Gesenii* ambire. Jurares hunc non posse non perjurum fieri!

Quod malam Oppositionem factam dixeram inter Statum Naturalem & Adventitium; respondet: *mibi ambiguitatem vocabuli Naturalis incognitam esse*; At verò mihi magis cognitam esse hujus termini ambiguitatem animum facilè inducere potuisset *Pufendorfius*, quàm sibi ipsi, utpote qui debito semper honore solidioris *Metaphysicæ* præcepta profecutus sum, ambiguitates hujusmodi Terminorum Eruditis explicantia, secus ac *Pufendorfius*, qui eadem non absqve summa injuria passim in scriptis suis, etiam in *Spicilegio* sugillat, rancidularum distinctionum nomine aliisqve odiolis dièteriis conspurcat hocqve pacto novo exemplo veritatem istius corroborat: Ignoti nulla cupido; Item: Ars non habet Osorem, nisi ignorantem. Ficta vero à *Pufendorfo* 7<sup>a</sup> Naturalis Significatio, nullibi exaudita, saltem inutilis prorsus, non tantùm incognita mihi debuit esse, sed & simul ac innotuit, quibus cum absurdis conficte-  
tur, annotari, quorum non minimum, quod conficte-  
significationis causâ etiam istud Naturale dici desinat, quod maximè Naturale est, à Natura Naturante introductum, quale quid Status Patrem inter & Filium existit. Deniqve ubi contradictionem Status conficti evolvi, etiam in eo positam, quod Status dicatur id habere, ut quis cum aliquibus hominibus peculiari Societate jungatur, & tamen hominum nemini,

nemini, præterquam DEO, in eo subjectus sit, omnibus verò hominibus æqualis; *Ob id malè precatur illi, qui mihi librum suum legenti perspicillum subduxit, cum neq; citato loco, neq; alibi exstet, hominem soli DEo subjectum omnibus hominibus æqualem esse; sed ista verba legantur: Quivis cuius alteri, cui neq; ipsi subjectus est, neq; eundem subjectum habet, æqualis censetur.* At non est, quod malè precetur huic; est verò cur probè deprecetur subducentem Intellectui suo perspicillum sive lumen, quò minùs Synonyma Grammatica hìc percipiat, quibus tamen paulò ante usq; adeò delectabatur, ut cordatis omnibus solà earum virtute persuasum vellet, me, quid carperem, non intellexisse. Equidem non exstat κατὰ τὸ πῆλόν, exstat tamen κατὰ ἰσὸν ἀναίαν, cuivis intelligenti obviam. Nam, si in Statu Naturali quivis cuius alteri, cui neque ipse subjectus est, neque eundem subjectum habet, æqualis censetur; quò fieri aliter potest, quàm ut aliquibus hominibus peculiari Societate junctus, & nemini præterquam DEo subjectus, illis omnibus, pariter nemini præterquam DEO, subjectis, æqualis sit? Unde non *magni Stuporis Argumentum est, à Pufendorffio, dictæ hypotheseos Auctore, petere, quò ostendatur Societas in quâ omnes æquales sunt, nec alter alteri subjectus;* (aut si mavult petitionem pluribus & suis ipsius synonymis verbis formatâ, ne ad eadem tam facilè nauseat) *quo ostendatur Status Naturalis, qui re vera existit, id habens, ut quis cum aliquibus hominibus, peculiari Societate jungatur, cum reliquis autem omnibus nihil præter*

ter speciem humanam obtineat commune, quorum  
 interea hoc præcipuum jus sit, quod nemini præter-  
 quam DEO sunt subiecti atque obnoxii, eoque ip-  
 so quivis eorum cuius alteri, cui neq; ipse subje-  
 ctus est, nec eundem sibi subiectum habet, aqua-  
 litate censendus venias? Est verò haud exiguae im-  
 modestiæ Argumentum, affectatum stuporem  
 suum alteri, de se id minus merito, affricare velle.  
 Et magnus profecto pudor est, Professore & Af-  
 fertorem Moralium, nescio an satis moratum, ma-  
 gno conatu magnas nugas agere, & Philos. Natu-  
 ralis Professori inculcare velle, quod contra om-  
 nem Naturam est, nempe Conjuges & Parentes  
 cum liberis invicem non vivere in Statu Naturali,  
 vel certè id, quod, ipso Moraliū Doctore paulò antè  
 decernente, solâ Termini Naturalis à se conficta  
 significatione statuminatur ac stabilitur. Me de  
 cetero ex Libro *Pufendorffii* non didicisse, *ab in-*  
*æqualitate virium, animi cumprimis, ad inæqua-*  
*litatem jurium non licere argumentari*, de eo mi-  
 hi gratulari ipse, cum hac in parte circumspectius  
 egerim, & magis hic caverim, quàm *Pufend.* in  
 addiscendo ex scriptis *Hobbesii* conficto Statu Na-  
 turali. Gratularer *D. Pufendorffio*, si contrarium  
 ejus, quod me discere ex se potuisse autumat, ex  
 ratione mea, Doctrinæ ejus opposita, & ab eo for-  
 tean præ animi tumore haud animadversa, disce-  
 re voluisset. Sed gratulatione nihilominus de-  
 fungar, dummodo ad discendum promptior fu-  
 turus sit, si ab alio Doctore instruat, Viri Eru-  
 ditione

B

ditione



ditione Celeberrimo, in hunc modum differente :  
*At dicas, naturam aequales omnes produxisse: Respondeo, falsum id esse; cum alii à naturâ servili ingenio, alii liberali & quidem secundum gradus præditi sint. Si ergo ratio est, id, per quod homines sumus, & hominibus, quâ talis, gratiâ cuncta sunt; necesse est, eum in divisione plus consequi debere, qui plus ejus habet, per quod homines sumus. Idque convenit cum iis, quæ ab hominibus semper observata sunt: Servis enim facultatem acquirendi semper denegarunt. Quod si ob talem inæqualitatem negas inæqualiter res dividendas, sed aequales omnes ponas; necesse erit divisionem aequaliter fieri, & nec tunc, quod Auctor statuit, justum est, ut quilibet ad suos usus arripere possit, quod velit & consumere, quæ consumi possunt. Etenim aequales inæqualia accipere injustum est. Quod verò in iis homines admiserint, ut qui vix quilibet occupare, posset, ex accidenti factum propter multitudinem rerum creaturarum & exiguum hominum numerum. Job. à Felde Annot. ad Grot. p. 115. Pariratione ab omni stupore alienissima est quaestio mea: Ubi locorum reperitur hominum Societas, in qua omnes tum ex proprio judicio agunt, ex proprio itidem judicio de mediis, ad Sui Conservationem facientibus, definiunt, tum singuli agunt, quæ Rectæ Rationi consona sunt? Enimvero, ut ut tradat Pufendorfus de juribus eorum, qui in Libertate Naturali vivunt; hos tamen cum aliquibus saltem hominibus peculiari Societate junctos*

*Hæc facit, cum reliquis autem omnibus nihil præter speciem humanam obtinentes commune, De Off. H. & C. p. 153. coll. cum 154.* Quod dememinisse magni stuporis Argumentum est. Hinc hujusmodi Status Naturalis, qui juxta *Pufendorfium* ipsam Societatem aliquam continet, procul omni stupore Societas appellatur. Aut si stuporis est, Societatem, Statui Naturali ab Autore tributam, Societatem dicere, haud absurdi ingenii erit querere: Ubi detur societas quæ non sit societas? *Nec magna Patientia Argumentum remanebit, etiam à puero saltem quæstionem æquo animo audire; Sed insignis delectationis Argumentum evadet, Doctorem autodidactos & autodidactalia efferum efferatumque, ab eo, qui suæ tenuitatis satis conscius vivit, tali quæstione illaqueari & ad absurdum redigi; magnò interim patientiæ Argumentò superflite, à Viro, liberales Artes edocto, aliorumque hominum moribus moderandis præfecto, mores in scribendo tam parùm emollitos farosq; conspiciere. Denique (si formulis scribendi *Pufendorffio* receptis advescere allubesceret,) Calumnie titulo exornarem id, quò arguor, impegisse illi, quod Conservationem Sui Conservationi Universi opposuerit; malè item precarer isti, qui *Pufendorffio* Librum meum legenti perspicillum subduxit; cum certè neque ibi, neque alibi extet, à *Pufendorffio* Conservationem sui Universi Conservationi opponi; Sed verò *Dr. Pufendorffium* cum hic*

tum alibi Principio Juris Naturalis de Conserva-  
 tione sui, præeunte *Hobbiò*, plus nimium additum  
 esse. Id quod vel in *Spicilegio* his verbis denuo  
 confirmatum video: *Et sui ipsius Conservationi*  
*quam maximè studet, qui credit se non sibi, sed toti*  
*mundo creditum.* Etenim, qui sui ipsius Conser-  
 vationi quàm maximè studet, hic credere nequit,  
 se non sibi, sed toti mundo genitum; Si quis verò  
 istud credit, Conservationi totius studebit quàm  
 diligentissimè, quò modo & ipse fausto successu  
 conservabitur. *D. Pufendorsum* insuper Boni  
 justique Fontem Societatem constituere *Lib. 2. de*  
*J. N. & G. c. 3. §. 15. & cap. 2. §. 6.* vel, Fundamen-  
 talem & adæquatam Juris Naturalis Propositio-  
 nem juxta ipsum esse hanc: Homini colenda est  
 Societas, *Specim. Consrov. c. 5. §. 22. p. 166.* Item  
 bonum Justumque à divina Voluntate ab ipso de-  
 rivari, *de J. Nat. & Gent. Cap. 2. §. 6. p. 25. Apol.*  
*p. 16. & alibi*, non calumnia est, (quò de loca  
 modò allegata inspicientem certum reddent) nisi  
 forte à *Pufendorfo* conficta atque eructata, cui  
 medendæ inservitura auguramur, si relegat atque  
 regustet, quam pœnam Deus rixosis atque injurio-  
 sis in verbo suo comminetur, & cujus Spiritus fi-  
 lios hujusmodi mortales appellitet. Quæ verò  
 ad defensionem utriusque dogmatis novissimè ab  
 ipso adferuntur, suo quæque loco infra modestè  
 examinabimus. Hoc interim tempore placidè ex-  
 penderemus, cur *Vanum* dicat, quòd non nisi  
 quatuor Status Hominum, (eos intelligo, qui  
 Natu-

Naturæ Humanæ Conditionem Rationemque variam exponunt) dari posse contendit, si vel micâ Rationis vanitatem demonstrasset, & non solô Ingenii tumore, ne dicam vanitate, nudaque voluntate, quæ ipsi haud rarò pro ratione stat, commentitum Statum Naturalem assereret. Unde nunc primæ Controversiæ de Hypothesi Status Naturalis efficta finem imponere cogor, præter fingendi Libidinem, nullâ necessitate subortæ, qui insuper circa Doctrinam de Statu Hominis Pufendorfianam, nihil quicquam amplius cerâ miniatâ notare habeo, neq; mea ullo pacto facio, quæ alii de *D. Pufendorf.* commentantur, quasi Integritatis Statum corrupisset deque Adamo Integro insana multa tradidisset, quo de conqvesitur *Specim. Controv. à pag. 36.* Id quod propterea subnectendum duxi, ne aliorum quas vocat Calumnias mihi iniquè objectare pertendat, qui vel ab aculeatis erga ipsum verbis, nedum calumniis à me totum pro virili abstinendum putavi.

S. III

**N**unc ad Questionem: *Num quid malum sit ante omnem Legem divinam & humanam à me Præxiol. p. 232.* propositam atque decisam, descendere lubet *Dn. Pufendorfio* & rationes pro affirmativa allatas examinare, à maximis incommodis, quæ contrariam sententiam insequuntur, desumptas: Nempe si nulla actio ante Interdictum vel divinum vel humanum malum est, tum fore: (a)  
Ut nec DEUS, nec Homo unquam malum prohi-

buerint, utpote quod naturam suam à prohibitione demum indispicit, (b) ut omnia Mala fieri possint Bona, quippe à sola Prohibitione libera suspensa, (c) ut DEO impossibile sit, nos ad quidquam obligare, cum adhuc ante prohibitionem indifferens maneat, ante promulganti & obliganti DEO fidem habere teneamur. Quæ absurda, adversam nobis opinionem necessario promere tam clarè perspiciuntur, quàm Lux, cum Sol meridianum attingit. Nec *Dn. Pufendorfus*, si alicubi simpliciter hanc suam fecerit, per omnes Artes bonas paritèr ac malas ab absurdis illis sese expediverit. Num quicquam promoverit, si vel centies ingeminet, *Argumentis hisce non nisi Sophisticationes promulgari*, judicent cordati. Ipse certè angustias hæcè subodoratus, mala quædam hoc sensu necessario talia, nec à nuda libera Dei Voluntate suspensa dari innuit, *quod indolis Humana natura, à Deo condita, adversatur, indeque ab ipsa, dummodo sibi consistere velit, necessario prohibenda sunt*; hoc pacto negativam aliorum simplicem restringendo, & malorum moralium naturam, quæ respectu Creature Rationalis talia sunt, etiam ante prohibitionem eorundem, à Deo factam, agnoscendo. Annotavimus & nos diuque ante conspeximus hoc *Pufendorfi* limitandi *evanescens*, quàm illud in *Spicilegio* repetitum legimus, quia pro ingenuitate nostra, quam in examinandis Autorum sententiis adhibere omni opera contendimus, Argumenta pleraque, vulgò pro Bonis & Malis ante Volunta-

luntatem Dei talibus, in medium afferri solita, & à *D. Velbemioprof. Jenensi* alicubi contra *Dn. Pufendorfium* in aciem educta, hunc non ferire sponte confessi sumus, istâ quippe hypothesi Pufendorfianâ facilè elidenda, quâ Voluntati divinæ, Bonum aliquod volenti, aut Malum aliquod prohibenti, præstruitur Voluntas ejusdem de tali, qualis nunc est; indoli humana, scil. Rationali, id omninò exigente, ut Naturæ Rationali congruum indeque Bonum quoddam necessariò Deus velit, ideò, quia Rationali Creaturæ congruum existit; Econtrariò Naturæ Rationali adversum; indeque Malum quoddam, necessariò nolit, ideò, quia Naturæ Rationali adversatur. Quæ accuratiùs expendisse decebat *Dn. Pufendorfium*, antequam vivum laceraret, antequam Argumenta, firmòsatis innixa talo, Sophisticationes petulanter vocitaret, antequam non sibi, sed aliis, secum non idem sentientibus, dicta, temerè arroderet; totâque januâ aberraret. Interea, etsi *Dn. Pufendorfius* quædam Argumenta, pro Bonis & Malis ad omnem DEi Voluntatem antecedentis, hypothesi suâ elidat, (quibus propterea nunquam contra ipsum usi fuimus, quin potiùs eorum infirmitatem, si quando ab aliis adversus eum allata vidimus, ingenuè agnovimus;) tamen adhuc alia supersunt in *Originibus nostris Mor.* tractata, quæ prædictæ hypothesi Pufendorfianæ nervum omnem præscindunt. Hæc eadem paulò fusius in præsens explicandi & ab omnibus difficultatibus, quibus adhuc

premi videntur, vindicandi, ansam nobis præbent *Spicilegii Pufendorfsani* paragraphi sequentes decem, quibus expendendis tantò diligentius vacabimus, quò illi ab iniquioribus & injuriosis scribendi formulis, quibus præcedentes scatebant, magis vacui existunt.

§. IV.

**E**fficet hoc ipsum à fervore dicam, an furore, remittentis animi signum, ut ingenue fateri nullus dubitem, *Nobilis. Dn. Pufendorfsium* (quantum ad modestiam attinet) *non parum nunc in melius proficere*, qui non tantum Questionem super Origine Moralitatis in actionibus humanis mere speculativam, & ex solis Methaphysicis, sibi maxime quidem exosis, interim odium hoc iniquum mirum quam vindicantibus, decidendam inter *principuas* refert; sed etiam me pro ejusdem Questionis determinatione, suæ adversa, ab eruditis interim communiter recepta, quin (uti max patebit) unice vera, *extrema ac talia argumenta* agnoscit attulisse, à quarum destructione omnem victoriæ suæ spem suspendendam esse, & tum demum plenioris triumphû gloriæ sibi jure obtingere posse eò arbitratur, quòd præter ista, nec alia, nec meliora ( se iudice ) amplius prostant, quæ adversus ejus sententiam reponi queant. Neque me poenitere unquam poterit ingenue hujus de ipso in *modestia proficiencie* confessionis, quippe qui tam luculenta ejusdè specimen edere nunc annisus, se ( cum hætenus obscure, superfunctoriè & libidinosè quædam protrussisset

sisset ) in posterum operam daturum pollicetur, ut  
*planè & perspicuè difficultates à me sibi mota, re-*  
*moveantur.* Hunc in finem, primò quidem mo-  
 nendum censet, sermonem sibi tantùm futurum de  
*sola Moralitate in actionibus humanis;* An ista in  
 momento rationis Voluntatem Divinam antever-  
 tat: Nam quod *Bonitas Divina à voluntate divi-*  
*na originem non ducat, cum omnibus, quibus sensus*  
*communis est, ultrò fatetur.* Hoc monito, à me  
*questionem insidiosè formatam* innuit, his verbis:  
*Num nihilominò boni concipi possit ante Volunta-*  
*tem divinam?* Sed eò pactò modestiæ, cujus spem  
 fecerat, protinus oblitus, tum insidiarum me ne-  
 quicquam incusat, tum ipsemet earum, mihi veri-  
 tatiqve structarum, quàm maximè reus evadit.  
 Etenim Statum controversiæ (1.) non eam ob  
 causam dictis verbis formavimus, ut sic saltem  
 argumentò, à Bonitate Dei intrinseca petitò, nobis  
 deinceps evincere in proclivi esset, aliquod Bonum  
 dari ante conceptam DEi Voluntatem: Quem e-  
 nim in finem argumenta, quotquot à nobis allata  
 sunt, id agerent, ut luculenter probent, Omnem  
 Bonitatem Moralem, sive Dei, sive Creaturæ Ratio-  
 nalis, in signo Rationis Voluntate Divinâ priorem  
 esse? Multo minùs (2.) eam ob causam, ut *Dno Pu-*  
*sendorffio* sententiam subdolè inpingeremus, quâ  
 vel ipsa Bonitas Divina ab ejus Voluntate suspen-  
 ditur. Nam contrarium ab illo doceri expressis  
 verbis edisseruimus, *Orig. Moral. p. 19.* citato insu-  
 per loco ex *Specimine Controversiarum*, in quo ten-



tentiam dictam planè ac perspicuè à se alienam contendit; Sed(3.) eam solā ob causam, ut tantò plenius totum exhauriremus negotium, & quærendo: Anne omninò nihil Boni concipi possit ante Voluntatem Dei; Occasionem nancisceremur tantò ampliorem asserendi: Omnia omninò Bona Moralia Voluntatem Divinam in signo rationis antevertere. Præterquàm quòd ita formato Controversiæ statu cum primis prævertere voluerimus Objectionem istā frequentatam, & Controversiæ Statum haudquaquam ferientem: Omne Bonum Morale à Deo præceptum esse, sicq; Voluntate Divinā saltem eatenus posterius habendum, uti ad oculum patet ex utroque loco, in quo Controversiæ Status delineatus est, nempe *Praxiol. cap. 2. §. 3. & Orig. Moral. diff. 2. §. 22. pag. 60. in fine.*

E contrariò *Dominus Pufendorfius* infiosè formatæ quæstionis reus manet, quando de sola Moralitate in Actionibus humanis sermonem esse ait: Etenim actiones humanas cum Moralitate earum vel in Existentia, vel in Essentia & Idea considerare licet; Priori modo acceptas Voluntati Divinæ, ceu Origini, conceptis verbis vindicavimus *Orig. Moral. pag. 60 in medio*; Ut posteriori solùm sensu easdem Voluntati Divinæ in signo rationis præstruxerimus, indeque asseruerimus, & adhuc asseramus: Bonum Morale quòdvis, ad humanam licèt naturam restrictum, quando in Essentia sua & Idea spectatur, respectu modi nostri concipiendi, Voluntatem Divinam præcedere.

§. V. Hic

## S. V.

**H**ic jam mirari subit animum, quo *αὐταρχίας* enthufiasmo actus *Pufendorfius* fcribat, jam ed redactos adverfarios, ut admittant Controverfiam non effe de rebus, pro ut re vera & actu exiftunt, (i. e. quā Exiftentiam confideratis, anne Moralitas, in creaturas earumque actiones conveniens, actu exiftat ante Voluntatem Dei, ) fed de nostro concipiendi modo, i. e. anne Moralitas, in Creaturas eorumque actiones conveniens, ratione Effentia & Ideæ fpectata, Voluntate Divinā prior concipienda fit. Quæfo *Dne. Pufendorfi*, quoniam illi Adverfarii, qui eò redacti funt? Quoniam horum Hypothefis, à qua repulsi, huc redacti funt? Quis denique ifte Deus *ἀπὸ μωρανῆς*, qui adverfarios ad tantas, anguftias redegit? Cæterum tantum non Hiftrioniam nunc alicui exercere *Dominus Pufendorf.* videri poffet, vel faltem ad fingendi artem, cui Status Naturalis originem debet, reverti. Commifcitur fibi Adverfarios, qui nunquam in rerum natura exiftère. Ecquis enim Bonum Morale, ad humanam Naturam reftrictum, etiam actualis exiftentiæ refpectu, Voluntate Divinā prius vel per fomnium dixit? Affertione interim hâc, ceu armaturâ, certe ficulneâ, adverfarios à fe inftitutos, ficq; *ἀσπὴ δαπέδῳ* fibi viſos, maiculè aggreditur, & intra limites ſuos ſefe continere cogit, quos tamen tranſilverunt adhuc nunquam. Ita dum veram à veris Adverfariis ſuis victoriam reportare desperat *Pufendorf.* de ficta in fictos obtenta ſibi gratulatur,

pueris hac in parte similis, qui, si quandoq; milites ex limo paratos loco suo moverint, exultandi & triumphandi materiam amplam sibi suppeditatam credunt serio. Num hæc Victoria insigniori Moralista digna sit, judicent alii. Adversarii autem ejus, dumodo id obtineant, pro quo hætenus pugnarunt, nempe, Bonum Morale, etiam ad humanam naturam determinatum, si in Essentia & Idea absqve actuali Existentia spectetur, ante Voluntatem Dei concipiendum esse, plenissimam victoriam potiti sunt, planeqve evicerunt rem, de qua agitur, sic utiqve se habere. In hujus rei gratiam, quod de Victoria ista cuius spectatori clarissimè constare posset, repetenda ex Philosophia Theoretica necessario erat Doctrina de Essentiis rerum, ceu Suppositum quoddam, quæstioni controversæ, de Essentia Boni Moralis, ad humanam naturam restricti, apprimè inserviturum. Proinde ex mente Philosophorum omnium, ne ipsò quidem Platone exceptò, Essentias rerum creatarum, ab Existentiis præcisas, utpote has naturam suam, quod in solo Ente summo obtinet, haud complectentes, absolute quidem spectatas, Naturas earum dixeram, quibus à se invicem distinguuntur; respectu autem ad intellectum, tam Divinum quàm humanum habitò, Ideas nominaveram, Aptitudines item & Possibilitates ad existendum in pluribus, quas, termino, Philosophis familiarissimo, Universalia vulgò salutant, pluribus actu inesse apta nataqve, *Orig. Moral. pag. 36.* Quam pleniorrem de Essentiis rerum explicationem

nem

nam meam *Dn. Pufendorfius* silentiō prætervectus, per fallaciam Divisionis, eas à me in sola possibilitate ad existendum collocari pronuntiat, allegatâ *Orig. Moral. paginâ 32. quæ summam tantum supra dictorum eamque concisam continet.* Si hæc fallaciâ supersedere voluisset, (id quod Moralium Assertorem omnino decebat) non in aliud, bonis moribus æquè adversum commissum iterum impigisset, quo autores *Metaphysicæ, verè Divinæ, sive naturam ejus spectes, disciplinæ, ludibrio habet, & per contemptum, Regni Metaphysici Proceres commemorat, quorum Concilium prius cogendum fore, protervè jocatur, antequam Dogma de Essentiis in aptitudine & possibilitate ad existendum in pluribus collocatâ, publicè recipiendum sit.* Non secus, ac si hoc de Essentiis rerum Dogma non omnibus omnium seculorum Philosophis diu ante probatum esset, & in hunc usque diem calculis eorum probaretur, aut ejusdem indolis evaderet cum acceptione *vã* Naturalis Pufendorfianâ, à Concilio Philosophorum quocunque, vel in Philosophiæ tyrone castiganda meritò, necdum explodenda. Ne interim commemoratâ Dividendi fallaciâ suâ *Dn. Pufendorfius* sibi persuadeat invenisse, nõ quod pueri in faba, à Regni Metaphysici Proceribus insuper docendus est: Naturas rerum, i. e. Ideas, Aptitudines & Possibilitates ad existendum in pluribus, itemque Universalia, (quibus terminis Essentiæ rerum ab Existentiis præcisæ, solent significari,) non esse meras Possibilitates ad existendum, sed

sed verò connexiones Prædicatorum, cuiusvis Entis essentialium Ideales, ante conceptam Dei Voluntatem concipiendas, eò, quod possibiles sunt, ex ipsa Omnipotentia Divina, Voluntatem Divinam antevertentis, ratione.

Hinc jam à nomine *Supra* dicitur: *Si essentia rerum in sola possibilitate consistunt, & verò Universalitas creaturarum Omnipotentiam non exhauret, adeoque Deus intelligitur posse, quæ nunquam produxit, aut producturus est, etiam non Entium dabitur Essentia.* Etenim Essentia rerum non sunt mære possibilitates, sed connexiones prædicatorum essentialium Ideales cuiusvis Entis, vel à DEO jam tû producti, vel adhuc certò producendi, qvalis connexio in Non-Entia, nunquam existitura nequam cadit, propterea quoque Essentiam, ab Existentia præcisam, nullò modò participantia. Adhuc magis extra oleas vagantur, Ignorationis Elenchi arguenda, quibus à me sibi ostendi potest, quæ tantum à nihilo differat possibilitas, quæ nunquam in actum deducta fuit, aut deducenda est; Quamquam rursus Metaphysicæ tyrones differentiam horum duorum in numerato habeant, & Nihilum seu Non-Ens possibilitate huiusmodi latius patere ostendant; quia & contradictoriarum seu Impossible, Nihilum est seu Non-Ens, non autem Possibile in actum vel non deductum, vel unquam deducendum. Quæ porro de Essentiarum, Existentiis contradictoriarum ortu, (admixtis hinc inde modò inaccuratè, modo à me acceptis,) in quinto Antonio spha

Spho afferuntur, Veritati Sententiæ meæ adeo non obstant, ut eandem subindè illustrent atqve stabiliant. Exceptis postremis, quæ partim sibi ipsis non constant, partim cum umbris colluctantur, partim deniq; petitionem principii incurrunt splendidissimam. Nam, *si conceptus rerum generales ab interitu individuorum*, (adeoq; ab eorū existentia seu non existentia) *non dependent*, absurdū non est, *istorum aternitatem ante primam rerū* (subaudi actualem) *Originem* (seu Existentiam) *velut retrahere*. Absurdum autem, dicere, Essentias rerum à Voluntate Creatoris (subaudi, nullā ratione) dependere, quæ quid nemini Philosophorum adhuc in mentem venit asserere, quippe qui (a) etiā ista à se invicem dependere ex Metaphysica norunt, quæ quocunq; nexu necessariò inter se copulata sunt, (c) Ita tantum Essentias rerum à Voluntate DEI haud dependere mecum contendunt, ut ad Voluntatem DEI antecedenter, & solā conceptā DEI Omnipotentiā, seu Naturā, concipiendæ sint. Hujusmodi autem Independentiam Essentiarum à Voluntate Divina inficias ire, tamdiu frivolum remanet, donec alterutrum horum solidè ostendatur: Vel Divinam Omnipotentiam Essentias rerum nequaquam inferre; vel Omnipotentiam Voluntate Divinā in signo rationis priorem non esse.

S. VI.

**A**Tque in hoc ipso melioris causæ arcem positam non præter rem auguratur Celeberrimus  
Pufendorf

*Pufendorfius* tam firmam munitionemque, ut non esse habeat metuere, se à deterioris causæ præsidiiis expugnatum iri. Etenim, nimum quàm cuiusvis distinctè cognoscentis aciem perstringit; tum Omnipotentiam Divinam, Essentias rerum, quatenus sunt possibiles, inferre, eoque istâ conceptâ, necessariò concipiendas esse; tum Omnipotentiam Divinam, in ordinata Attributorum Divinorum Consideratione, Voluntate ejus priorem naturâ esse, sive Voluntas pro potentia, sive pro actu supponat. Priori enim modò accepta, Omnipotentia Voluntate ceu Genus Specie; Posteriori verò, ceu Potentia Actu prior deprehenditur. Illustrissimarum duarum Veritatum anterior ipsum *Dominum Pufendorfum* ad eò exteret & consternatum tenet, ut quò se vertat, vix reperiat. Ait (1.) *Questionem propriè non esse confusam & indeterminatam, hoc modò: Quodnam primum velus fundamentum sit, ut aliquid extra DEum esse queat.* Resp. (a) Si non propriè hæc Quæstio est confusa, i. e. generalis & indeterminata, impropriè tamen erit. (b) Si non Quæstio est: *quodnam primum velus fundamentum sit, &c.* quæstio tamen erit, quodnam primum simpliciter fundamentum sit, vel quænam necessaria & proxima ratio concipiendi Essentias rerum, extra Deum positarum. Ait (2.) *Ad hanc enim Questionem ita confuse (i. e. generaliter) formatam ultimata est responsio, quia Deus est Omnipotens, Resp. Est quod mihi gratuler, Dn, Pufendorfum id non posse non largiri, Essentias*

tias rerum, si generaliter considerentur, Omnipotentiam non autem Voluntate Divinam, seu fundamento, inniti. Ait (3.) *Sed questio a nobis agitur distincta & determinata: Unde fit, quod homo talem habeat naturam, ut certa quadam ei necessario honesta, quadam turpia sint, que brutis aliis non sunt.* Resp. (a) Imò verò Questio est in specie de homine, & Bono Morali, seu honesto ad naturam humanam restricto, non quatenus hæc ipsa existunt, sed quatenus ab existentia præcisa in Idea considerantur. (b) Ut hæc Questio de Essentia hominis in specie & de Essentia honesti, huic proprii ac domestici, solidè decidatur, omninò convenit, ut etiam de essentiis in genere & indeterminate queratur: Quicquid enim sic de Essentiis in genere & indeterminate spectatis asseritur, idem de Essentiis hominis, & honesti, ad ejus Naturam restricti, in specie & determinate necessario asserendum venit; nisi quis Procurementum Metaphysicis Decretum hoc: Quicquid convenit generi, (intellige Materialiter,) idem quoque convenit singulis speciebus, naso adunco suspendere & Semet ipsum omnibus deridendum propinare gestiat. Quod cum à Dno. Pufendorfia procul absit, operam dabit, ne concessò semel eò, si de Essentiarum in genere & indeterminate sumptarum, queratur fundamento, nullum aliud, quam Omnipotentiam Divinam dari posse; postliminio tamen, dum de Essentiarum hominis & honesti ejus fundamento in specie & de-

C.

ter-



terminatè quæritur, neget Omnipotentiam Divinam hòc munere defungi. Quò interim delabi nullus veretur, quando (4.) ait. *Ad hanc Quæstionem ultimata responsio non est, quia DEUS est Omnipotens, sed quia DEUS ita voluit.* Resp. Si ad Quæstionem generalem & indeterminatam hanc: Quodnam Essentiarum in genere fundamentum est, ipso iudice, rectè respondetur: Quia DEUS est Omnipotens; Non minus rectè ad Quæstionem specialem & determinatam hanc: Quodnam Essentiæ hominis, huiusque honesti, ab Existentiâ præcisè, fundamentum est, respondebitur: Quia Deus est Omnipotens.

Sic ad incitas redactus Autor, asseveratione quâdam rhetoricâ, ceu gladio Alexandrino nodum Gordium discicare, & nescio quibus obscuritatibus, ceu tenebris, nuditatem obtegere satagit: *Sanè inquit, aliter sese habent potentia determinate, finita & velut bruta, quibus positus effectus talis & non alius ponitur. Sicuti in quòvis genere machinarum conspicitur, ubi vera & adequata effectus causa ad potentiam refertur. Aliter se res habet in potentia indeterminata libera, exercitiique sui moderamen penes se habente, abs quibus quod talis vel talis effectus producat, causa ad liberam determinationem eius potentia refertur.* Resp. Quid nobis hìc negotii cum potentiis determinatis & indeterminatis, finitis & infinitis, brutis & rationalibus? quid cum generibus machinarum? quid deni-

denique cum effectibus? Hôc locô solummodô  
 quæritur: Anne, uti Essentiæ, in genere concé-  
 ptæ, Dei Omnipotentæ, etiam ante conceptam  
 ejus Voluntatem; ita & Essentiæ hominis & ho-  
 nesti humani in specie, eôdem modô concipien-  
 dæ sint. Quod cum negari non possit, frustrâ se  
*Pufendorfius* torquet inque omnes partes vertit  
 versatqve. Frustrâ errores erroribus, ambiguita-  
 tes ambiguitatibus cumulat atqve coacervat,  
 quando pag 95. ita pergit: *Et sanè Omnipotentia*  
*in Deo concipitur non tanquam facultas necessaria,*  
*sed tanquam libera, seu, quæ non necessariò sese exer-*  
*cit, sed prout Deo placet; aliàs enim Deus semper*  
*ageret omnia, quæ posses; cùm Deus illa tantum fa-*  
*ciat, quæ vult. Ut falsum omninò sit: Positâ Omni-*  
*potentiâ Dei poni omnia ejus objecta. Resp. Omni-*  
 potentiam æqvè atq; omnia alia Attributa Divina  
 in Deo ceu facultates necessarias, salt em quâ Esse  
 suum concipi debere, nemo sanus dubitaverit,  
 qui ipsum Deum necessarium admittit: Nam  
 qvalia subjecta, talia sunt eorum Attributa; Quâ  
 Exercitium autem & ad extra, Omnipotentiam,  
 Divinam nec quisquam necessariam dixit, nec ad  
 Quæstionem præsentem quicquam facit. Suffi-  
 cit hoc loco, Omnipotentia Divinâ conceptâ, Ef-  
 fentias rerum in genere & indeterminatas, sicqve  
 per consequens easdem in specie hominis & ho-  
 nesti humani determinatas, etiam nondum con-  
 ceptâ DEI Voluntate, concipiendas esse; Vel

Ca

quod

quod idem est, Positâ Logicè Omnipotentia Divinâ, omnia ejus Objecta Logicè poni; id quod planè falsum esse, non nisi per planissimam petulantiam dici potest. Denique frustrâ rerum Existencias cum earum Essentiis desperata causa rursus hinc commiscet: *Unde quilibet ex Sensu communi judicare potest: Si quæram, cur Deus hominem creaverit animal rationale, incongruè responderi: Quia est Omnipotens. Nam statim excipere possem: Si Omnipotens est, cur non potius aliter, quàm sic fecit? Sed si respondeas, quia Creatori sapientissimo & Optimo ita placuit; Nihil habeo, quod excipere queam.* Enim verò, creare hominem, est ei Existenciam largiri, quod utiqve non ab Omnipotentia Divina, sed ab ejus Voluntate proximè derivandum esse, verbis expressis initio *spbi stii*, ab Autore adducti, inculcavimus ipsi, solas rerum Essentias, Divinæ Omnipotentiz ceu fundamento vindicantes, quas huic unicè & proximè tribuendas esse, si non ex sensu communi, ad res immateriales concipiendas minùs capaci, certè ex communi intelligendi ratione, dummodo ista non supra modum vel pertinax vel perversa fit, judicare quivis potest.

s. VII.

**A**Rce hætenus inexpugnata, salva manent argumenta nostra ceu præsidia, quibus ista munitur atqve defenditur, neqve ab imbellibus *Pufendorfi* machinis quicquam illis periculi imminet.

minet. Eviceram contra *Poretum*, Essentias rerum possibiles ab Omnipotentia Divina inferri, utpotè quarum, ceu Objectorum respectu, hæc Potentiæ denominationem sustinet. Qvi labor meus vel ab ipso *Domino Pufendorffio* nunc statumatus quodammodo est, concedente, Essentias indeterminatè ad minimum, & in genere spectatas, ex Omnipotentia Divina colligi. Jam à Thesi ad Hypothesin processuro, Essentias rerum Practicarum seu Moralium, & per consequens, Honestorum, humanam naturam decentium, Voluntate Divinâ in signo rationis priores esse contra *Pufendorffium* ostendere incumbibat, nihil quicquam boni, nisi ad Voluntatem Divinam consequenter admittentem. Persecutus idipsum sum quatuor Argumentis, omissis, quæ ob hypothesein, *Pufendorffio* peculiarem, parùm ad rem præsentem facere videbantur. Argumentorum istorum vim quomodo nullus sustinuerit, imò ne periculum quidem facere ausus sit, anne sub quâdam saltem veri specie debellari ea possint, sequitur ut perspiciamus.

*Argumentum meum primum* ex loco Parium petitum ita se habet: Essentiæ rerum Theoreticarum ex Attributo, Voluntate Divinâ priori, nempe ex Omnipotentia Dei, derivantur. E. & Essentiæ rerum Practicarum & per consequens Essentia boni Moralis, ad humanam naturam restricti. Hujus Antecedens probatum erat *Dissertationis* meæ, à *Pufendorffio* impugnatæ, *Parte 1.*

à p. 37. ad 37. Ratio Consequentiz autem in eo sita, quia eatenus inter Essentias Theoreticas & Practicas discrimen nullum intercedit. Hic Consequentiz Ratione admisa, Antecedenti infestus imminet, & inanem hoc loco Distinctionem inter Essentias rerum in genere seu indeterminatè & in specie seu determinatè spectatas, *Spho* proximè præcedente examinatum, & *Autori* ipsi noxiam, inaniore adauget, inter, *Potentias Acquisitas & Essentiales seu Naturales herciscendò*. Ne verò ponderi hujus Distinctionis quicquam desit, exemplò figuli eandem illustraturus, ita pergit: *Quibus addo in Artifice quidem, v.g. figulo, cui potentia sua acquiritur, Ideam Olla necessario videri præcedere Voluntatem olla faciendam, quæ exurgere non potest, nisi posita potentia, seu facultate agendi. At in Deo, qui est à seipso, & cui Omnipotentia est Essentialis* (Nota hic Omnipotentiam Deo essentialem dici, quæ *Spho* proximè præcedente ceu facultas non necessaria, sed libera concipiebatur) *nullas finitas ideas rerum creandarum præsupponi necessum est, antequam ponatur Voluntas quicquam extra se producendi. Hæc cuncta si de positione & præsuppositione Logica intelligantur, (de qua sola intelligi debere monet Autorem Status Controversiæ, quæ de inter nos diceptatur: Annon secundum modum nostrum concipiendi Ideæ seu Essentiæ rerum, ex Omnipotentia Divina proximè deriventur, sicque ante*

Vc

Voluntatem DEI, Omnipotentiam illius in signo rationis posteriorem, concipiendam sint.) Distinctionem inter Potentias Acquisitas & Naturales non tantum summam vanitatis convincunt, sed insuper Autorem suomet gladio jugulant, planeque confodiunt. Enimvero, si Acquisita Potentia, seu Innaturales, eoque Contingentes, Ideas Objectorum necessario tamen inferunt, atque ante Voluntates agentium reponunt; utique Potentia Naturales, & per consequens Omnipotentia, Deo Essentialis eoque plane necessaria, Ideas suorum Objectorum tanto magis necessario inferunt, easque ante Voluntatem agentis reponunt, quantum Naturales Potentia & per consequens Omnipotentia Divina necessariae magis sunt, quam Acquisita, cum contingentia colluctantur.

Proinde, si necessario inferitur: Est, e. gr. in Figulo Voluntas ollae faciendae, E. praesupponenda in eodem venit potentia faciendae ollae, una cum hujus Idea, uti *Dr. Pufendorfius* urget; adhuc cum majori necessitate inferendum urget ratio: Est in DEO e. gr. Voluntas faciendi hominis, & honesti, humanam naturam decentis; E. praesupponenda est potentia faciendi hominis & honesti, humanam naturam decentis, una cum horum Ideis. Atque sic porro legitima manet hujus ratiocinii Consequentia, etsi nulla à minus bene ratiocinante *Pufendorfio* habeatur: Negata possibilitate hominis ad exi-

rendū, negatur simul Dei Omnipotentia; igitur & positā Omnipentiā, statim Ideæ quævis, eoq; hominis & Boni Moralis, ad humanam naturam restricti, ponuntur.

§. VIII.

**C**Æterūm ut Paritas Idearum seu Essentiarum Practicarum cum Theoreticis, (quod ad Originem earum attinet, ex Omnipotentia Divina derivandam,) tantò clariùs cuivis innotesceret, Verissimā *Illustris Grotii* assertionem Divinam potentiam se pariter ad malitiam quorundam actuum humanorum haud extendere docentis, eò quòd Contradictionem involvunt, non secus atque ob eandem Contradictionis fugam divina potentia se ad impossibilia Theoretica nequam porrigit, Rem totam tum illustrandam, tum corroborandam duxeram, ipsum simul *Grotium* à præpostero *Pufendorffii* iudicio, (quò talia inculcantem, rem non rectè expendisse scribit) vindicaturus; sicque ejusdem farinae Contradictionem in malis, Juri Naturali adversantibus, deprehendi ostenderam, cujus est, si bis duo negentur quatuor esse *Orig. Moral. pag. 62. & 63.* Hæc inania, frivola, à me vel non intellecta, vel cavillationi ex composito involuta, *Pufendorffius* mente, calamoque ac indole, cavillationibus supra omnem tam eruditionis quam muneris sui modum addidit, scribit. Ne verò sine ratione hæc, quæ non vult, locutus quæ vult, audivisse videatur; operæ pretium est, hoc loco ad oculum.

mon-

monstrare, quo pacto Regni Metaphysici Proce-  
ribus, alto à se contemptis supercilio, pœnas ite-  
ratò det tantùm non turpissimas, ignorandò,  
quæ materialiter diversa sunt, ea interim ratione  
certi alicujus tertii ex affe posse convenire. Et-  
enim Theoreticas Ideas, e. gr. Numerorum,  
tùm inter se, tum à Practicis, seu Bonorum Mo-  
ralium Ideis, materialiter differre, mecum ne-  
mo, nedum illustre eruditorum lumen *Grotius*,  
si viveret, inficias iverit; ( ut frustrà sub finem  
*§. 8.* scribat *Pufendorfius*, *Ideam Hominis ab alia-  
rum rerum Ideis, in quas numerus cadit, utique dif-  
ferre;* ) Id interim non obstat, quò minus in  
tertio hoc conveniant ambæ, ut quemadmo-  
dum Ideæ Theoreticæ ex Omnipotentia Divina  
inferuntur, sic pariter & Practicæ inde colligan-  
tur; Item, quemadmodum Contradictoria Theo-  
retica Omnipotentia Divina adversantur, sic pa-  
riter Contrad. Practica eidem Omnipotentia ini-  
mica existant. Ex quo nunc porrò conficitur,  
quod, sicuti *ad id, ut res theoretica sit numerabilis,*  
*sufficit, si qualiscunqve sit: Musca æquè ac Elephas*  
*numerari potest;* Ita pariter *ad id, ut res practica*  
*sit numerabilis, sufficiat, qualiscunqve sit: Amor*  
*Dei æquè atqve Amor proximi; Justitia æquè ac*  
*Temperantia numerari possunt.* Sed uti vice ver-  
sà *ad id, ut alicujus Entis Actiones turpes sint, non*  
*sufficit, quæcunqve id sit, sed requiritur, ut cer-*  
*tò modo à Deo sit formatum;* Ita quoque *ad id,*  
*ut musca musca sit, elephas elephas, non sufficit*



qualiacunqve ea esse animalia, sed requiritur, ut certò modo à Deo sint formata. Usqve adeò, ut in his nullum hætenus Theoreticas inter & Practicas Essentias discrimen tale intercedat, quod impedire possit, quò minùs ejusdem farinae Contradictio, iudice *Grosio*, in utraq; competat. Evidentiâ rei permotus *Pnfendorfius*, *Interim*, inquit, *non negamus, esse in turpitudine certum genus Contradictionis, sed quæ exposito hominis sine & natura resultat.* *Resp.* Contradictionem hanc, Contradictioni, divinam Omnipotentiam respicienti, nõ oppositam, sed subordinatam esse, & istam in hanc tandem resolvi, præsertim cum ipsius hominis Essentia, qvatenus possibilis est, ex Omnipotentia Divina, immediatè, nondum conceptâ DEI Voluntate, inferatur, & negatio ejus ipsam neget Dei Omnipotentiam.

s. IX.

**A** St Hominis Idea à solâ Voluntate Divina, ceu Origine proxima, suspensa, non verò ab Omnipotentia derivata, *αὐτῶν ψεύδος* Autoris est, liberali manu alioqvin admissuri, Bonum Morale, ad Hominem restrictum, quâ Essentiam suam ex Omnipotentia inferri, nisi ipse Homo, in Ideâ consideratus, Voluntati Divinæ ceu Origini unicè vindicandus esset. Ex hac concessione ejus hypothetica profluxit *Argum. nostrum secundum* pro Bono Morali Hominis ante conceptam Dei Voluntatem tali, in *Orig. Moralibus p. 64* allatum. Cui cum nervus præscindi aliter non

non possit, quàm ut tota, certè potissima Sectionis Suppositivæ pars, dimidium Dissertationis nostræ secundæ absolvens, & Essentiarum Theoreticarum, ab Existentiis abstractarum, ex Omnipotentia Divina, in signo rationis Voluntatem Dei antecedente, Derivationem adstruens, refellatur, superfluum esset huic præter omnem necessitatem & rationem immorari. Satis præterea roboris in *Tertio Argumento meo* remanet, quò per *Dn. Pufendorfi* exceptionem neutiqvam exiuit. Etenim extra omnem dubitationis aleam situm est, quædam Bona Deum necessariò velle, quia Bona sunt, quædã vice versâ tantùm propterea bona fieri, quia Deus illa liberè vult; Item quædam Mala Deum necessariò adversari, quia per se Mala sunt, quædam è contrario tantùm propterea Mala evadere, quia Deus illa liberè averfatur. Ut sic ratio edifferenda veniat, cur alia præ aliis tum necessariò velit, tum necessariò averfetur DEUS. *Dn. Pufendorfius* rationis loco affert præcedentem quandam Dei Voluntatem, quæ, *siquidem Deus sibi ipsi constare debeat*, posteriorem necessariò exigit, atque ita efficit Bonum aliqvod necessariò à Deo appetendum, vel Malum necessariò ab ipso execrandum. *Sic vult, inquit, Deus sui cultum, sed non nisi volita prius creatura intelligente. Nam si Deus nihil creasset, aut non, nisi bruta creasset, cultum etiam sui velle non potuisset.* *Resp.* (i.) Jàm ergo eò redacti sunt adversarij, ut fatente *Pufendorfo*, admittere ne-

cesse habeant, Bona Moralia ad humanam Naturam pertinentia, volitò homine, necessariò Bona esse, & contraria necessariò Mala, nec à Voluntate Dei libera ampliùs suspensum, ut vel Mala Bonorum, vel Bona Malorum ( si ita DEO visum fuerit ) naturam induant; V. gr. volitò à Deo homine, necessariò bonum esse Amorem, quò hic Deum ceu Summum Bonum & homines alios ob similitudinem naturæ prosequitur, necessariò autem mala, blasphemiam, furtum, adulterium, & hujus furfuris alia, quæ inter Mala Moralia recensentur, neque vel Bona ista, nec hæc Mala à libera Dei Voluntate posse mutari; Secus atque *Cartesianorum* nonnulli *Orig. Moral.* p. 59. & 60. citati, quorum fraternitatem jurares *Dn. Pufendorsum* ambire, dummodo res tanti momenti esset, ut juramento confirmari mereatur. Resp. (2.) Evidentissimè denuò *Pufendorsum* Essentiam Hominis ejusque Boni Moralis cum Existencia eorundem confundere, sicque Elenchi ignoratione, chordà sibi perquam familiari, oberrare, cum horum duorum posterius ceu Effectum, ad Voluntatem Dei potissimùm non minùs ego ac Autor referam, priori solum ( nempe Ideis Hominis, & Boni, ad ejusque naturam relati, ceu possibilibus ) Omnipotentis Divinæ, Sanctitate & Bonitate veluti circumcinctæ, inque signo Rationis Voluntatem antegressæ, vindicatò; Omnipotentiam vero Bonitatem, Sanctitatem, Sapientiam &c. divinas, sine concepta Volunta-

luntate & nisi liberas (i. e. non necessarias) haud intelligi posse nimis quàm absurdè & incogitantèr pronunciat *Pufendorfius* ut cuius attendenti patet. *Quartum* denique *Argumentum meum*, Bonum Morale ante conceptam Dei Voluntatem pro tali habendum svadet, ne alioquin omne inter Legem Moralem, Bonum Morale & necessarium inculcantem, viceqve versâ Mala necessariò talia prohibentem; & Legem Dei Positivam, Bona Malaqve Positiva complectentem, discrimen, ratione Originis earum, tollatur, utraqve à Dei Voluntate suspensâ. Ad hoc respondet *Dn. Pufendorfius* quærendo: *Quid absurdi erit, si dicam ratione Originis tam naturalem, quàm positivam legem ad Dei Voluntatem referri, id tamen esse discriminis, quod positiva à Dei Voluntate absoluta proveniat, naturalis autem certam conditionem humana natura adsignatam præsupponit?*

At verò (1.) hanc Exceptionem prævidi & præoccupavi in *Orig. Moral. p. 67.* atq; istud absurdi inde exoriri monui, quod Lex Naturæ, (Positivæ Legi propterea hætenus contradistincta, quia non, uti hæc, ab impositione seu Voluntate Dei orta est) si interim Voluntati divinæ originem ultimam acceptâ ferre perhibeatur, Positivæ opponi neutiquam ampliùs possit, sed, cujuscunq; aliàs rationis & necessitatis habeatur, æqvè tamen Positiva evadat, atq; Positiva in specie sic dista, quippe æqvè ab Impositione & Voluntate Divina oriunda. (2.) Absurdum istud altero majori adhuc

huc absurdo cumulatur, nempe omnia Bona Malaq; in Voluntatem Dei Absolutam tandem esse resolvenda, à quâ demum Bonitatis & Malitiæ suæ rationem fortiuntur; Quo supposito, Bona Malaq; Moralia minima maximis æqualia evadent, nec majus erit Malum e. gr. Ligna in Sabbatho colligere, quàm Deum blasphemiiis proscindere; nec majus Bonum, sincero animi studio in DEum & proximum ferri, quàm cum pharisæo templum adire, Bonô hóc istoq; Malô, non minùs, quàm hóc Malô istoq; Bonô omnem Bonitatem Malitiamq; liberæ Dei Voluntati eiq;ve absolutæ tandem, ceu fonti unico, tribuentibus. Imò verò, non tantùm omnia Bona omniaq;ve Mala sic inter se æqualia erunt, sed non poterunt alia quàm æqualia esse, utpote in absolutam tandem Voluntatem aut Noluntatem Dei à quâ omnem Bonitatis & Malitiæ rationem hauriunt, unice & necessariò refundenda.

§. X.

**E**X quibus sic clarissimè perspicitur, quantis cum Difficultatibus, imò verò Absurdis Philosophicis conflitetur Hypothesis ista, quæ omnem Bonitatem omnemq;ve Malitiam à libera Dei Voluntate, ceu fonte ultimo, arcessit. Ceterùm ad Theologica quoq;ve Absurda descensum facilem præbet, intra Philosophicorum ἀλόγων cancellos semet haud contineri passa. Argumentò nobis sunt Theologi, aliàs Orthodoxi, qui ob dictam Hypothesin Justitiam DEI puni-

tiam

tivam non ex Natura Dei, sed Constitutione Divina profluere nulli dubitant, asserere, Socinianis hęc pacto plurimùm velificantes, quibus ea The-  
 sis domestica existit, ob id à *Theologis Heidelbergensibus* etiam in *Conr. Vorstio* castigata, uti videre est in *Epistolis Ecclesiasticis præstantium & eruditiorum Virorum pag. m. 65.* Non rectiùs hęc *Dn. Pufendorfium* sentire, conqueritur ipse me videri arguere *p. 69. ex quo nihil candoris relucere peremptoriè pronunciat. Spicil. §. 10.* Ast (1.) me errorem ejusmodi ei vel tribuisse, vel tribuere voluisse, omni omninò candore posthabito ab eodem dicitur, cujus proinde candoris defectui in totum assignanda venit quæstio hæc: *Ast ubi ego nego, necessitatem Justitiæ DEI punitivæ ex ipsa DEI natura fluere?* quasi verò talis Assertionis à me reus peractus unquam fuisset. (2.) Contra verò, quàm maximè candidè me hęc cum ipso egisse loquuntur disertæ verba mea, quibus nulla hoc in negotio sententia ejus exponitur, sed Lector ad ipsum Autorem ablegatur, ut quomodo sese explicet, percipere ipsi integrum sit. Utinam simili candore in me refellendo usus fuisset & lectorem ad verba mea legenda remisisset, non sine rubore scribere potuisset: *apparere me ingressu novi muneris* (quod octavo jam anno per Dei gratiam gero) *ipsò potissimùm oppugnatò inclarescere voluisse Spicil. pag. 85.* Etenim quem scopum Meditationes meæ Morales, mihi cum *Pufendorffio* communes (quibus intereà privatis  
 so-

solummodò & subcivis horis quandoq; vaco-  
publicis aliàs muneribus laboribusq; plùs ni-  
miùm districtus, sibi præfixum habeant, testatur  
Introitus ad palmariam Controversiam me inter  
& D. Pufendorsum intercedentem, his verbis à mè  
conceptus: *Qui (Pufendorfius) cum sententiam  
nostra adversam hinc inde in Scriptis suis ex professo  
propugnet, veniam nobis dabit, si Veritatis amore ad  
argumenta ejus ( quibus fortiora pro Opinione, ab  
illo defensa, adhuc non licuit videre ) attendamus  
subinde, & quid in iis desideretur, modeste quando-  
que moneamus, veriora edocenti lubentissimè obtem-  
peraturi. Orig. Moral. pag. 58. in med. Utinam  
porrò etiam tantùm Candoris adhibuisset, ut di-  
ctæ Controversiæ Epilogum meum Lectori haud  
siluisset, qui ita se habet: *Ceterùm abstinuimus nos  
ab omni à nobis diversum sentientes calumniandi,  
traducendi, inq; eos acrius invehendi libidine, nec  
verbum nobis excidisse novimus, quod eorum cui-  
quam molestum accidere posset, in Moralibus cum-  
primis non nisi bonis moribus congruè versandum  
esse augurati. Eandem ergo modestiam atque hu-  
manitatem à quovis, cui hæc minùs placuerint, no-  
bis pollicemur, pag. 80. in fine; Utique inveniret,  
cur perpetuâ pœnitentiâ expiandùm duceret im-  
modestum & scurris propemodum proprium  
scribendi, ne dicam calumniandi genus, quo me  
nihil certè hujusmodi promeritum, persequitur.  
Intereà ut Candidè cum Pufendorfo agere per-  
tendamus, nec malum malo compensemus) ad-  
dimus**

dimus (3.) Quod si *Dn. Pufendorf* seriò non negat, Justitiam DEI punitivam ex ipsa DEI Natura ad Voluntatem Dei antecedenter fluere, eo ipso concedit, aliquod Bonum, Rationalem Naturam, eamque peccatricem, respiciens, Essentiã suã in signo Rationis Voluntate Divinã prius esse, quò concessò, tota infimul causa cadit: Nam datò uno, quid prohibet plura dari? Par certè parium ratio est. Denique, ut, quò cœpimus & perreximus respondere candore, in eòdem desinamus, dicendum (4) Non posse me dissimulare, *Pufendorsum* nihilominus eo in loco *Specimin. Controvers. p. 60.* ad quem Lectorem ablegaveram, non parum sententiæ Socinianæ obstetricari: Etenim, *quod si Justitia Dei Punitiva inter ea est, quæ planè captum humana rationis superant, eoque, etiam post revelationem, justitia humana regulas adeò excedit, ut hæc ad illam applicandam non esse, disertè protestandum sit*, ( id quod *Pufendorfius* facit citatò locò, ) mihi quidem non apparet, quomodo Socinianorum Argumentis, injustitiam Deo impropèrantibus, si nostra peccata filii sui innocentis morte expianda voluerit, satisfieri, & Deus ab injustitia procul tergiversatione absolvi possit. Certè, Dei justitiam, aliùs planè rationis ac nostram esse, istamque supra omnem humanæ rationis captum dicere locareve, est nodum Gordium violenter difsecare potiùs, quàm ( quod rei sublimitas & necessitas sradet atque exigit ) eundem decenter solvere. Multò hîc melius rem agit Literátorum.

D

Phoc-



Phoenix *Illustrissimus Grotius*, qui ex *Justitiæ nostræ* ratione de *Justitia Dei*, partim *Naturæ*, partim *Scripturæ* lumine cognita, *judiciū faciendum ipsō Dei* monitore docet, *Libro de I. B. & P. L. 1. C. 1. N. 10.* hocqve supposito in eruditissimo *Libro suo de Satisfactione Christi* (à *Celeberrimo Vossio* olim contra *Ravensbergerum*, nuper ab *Edvar-do Stillingfleet* Anglorum doctissimo, contra alios ejus rafores defenso) *Satisfactionem Christi* tam solidè tamqve accuratè adstruit atqve exponit, ut omnes facilè *Socinianorum* strophas enervet evertatq;. Simili prorsus ratione integrū cuivis fuerit, rē uri usū præstantissimā sic laude dignissimā conari, & dogmata circa *Justitiam Dei punitivam*, pariter atq; omnium *Dogmatū qvæ substernūtur & implicantur articulis fidei de lapsu Adami & subsecuta inde de Justificatione hominis & similibus*, nō quidem ex solo rationis lumine demonstrare, utpote extra humanæ rationis sphaeram sita, sed eorum omnium, suppositā in *Scriptura* revelatione, explicare *Rationalitatem*, quodq; nec *Naturæ Divinæ* adversa sint, nec à *Regulis Justitiæ generalis*, in foro humano usurpandæ, abeant, *Socinianis* ostendere, eādēmqve *fidelīā Dogmatum*, his contrariorum, *Perplexitatem*, & *Irrationalitatem* delineare. Effectui id in præsens dedisseim, *Dn. Pufendorfio* gratificaturus, si pagellarum angustia rem capere potuisset, me interim aliā occasione negotium hoc confecturum, polliceor. Neq; tamen laboris præmium tantum posco, quantum offert *Pufendorfius*, scil. ut *fascēs*

inge-

*ingenii sui* nimium dictatorios, *mibi*, tenuitatis  
 meae probè conscio, *submittas*, quos ut modestiâ  
 & æquitate moderari discat, ipsi ex animo precor  
 voveoque; Id interim jure exigo, ut majorem sal-  
 tem ingenuitatem in isto considerando adhibeat,  
 quàm quâ hæcenus in Dogmate *Keckermanniano*,  
 de S.S. Trinitate, ex Natura Dei demonstrabili, di-  
 judicando usi sunt, quorum fraternitatem ambit  
*Pufendorfius*; ubi quàm *Keckermannus* Trinitatem,  
 suppositâ ejusdem in Scriptura S. revelatione, ex  
 Divina Natura deducendam occipit, eam solo ra-  
 tionis lumine indagare voluisse, insigni cum ini-  
 quitate perhibetur, eoqve nomine à plagiosis Or-  
 billiis nunquam non vapulat, quorum iniquitatis  
 causâ & ipse tutissimum cum *Pufendorffio* augu-  
 rarer hujusmodi Dogmata fide amplecti, nec ra-  
 tionem quicquam fatigare.

§. XI.

**E**Xpositam adhuc confirmatamque sententiam  
 Veriorem, ab Exceptionibus *Pufendorffianis*,  
 de hinc liberandam duximus, quas ipsius ingenio  
 plus ac nostro tribuentes, ob id quantâ licuit fide  
 atque industriâ collegimus, & ad singulas Respo-  
 siones Nostras eâ perspicuitate adaptavimus, ut  
 neminem latere posset, à cujus partibus veritas ha-  
 ctenus steterit. *Persentiscens Pufendorffius* earum  
 soliditatem, ab Argumentis suis urgendis nedum  
 stabiliendis, & à responsionibus ritè examinandis  
 se totum abstinet, spè omni causæ suæ amplius

consulenda, in nudis tergiversationibus & tenebris, sub quibus delitescere unice cupit, collocata.

Protrahenda itaque sunt in lucem Pufendor-  
fiana, quò intelligat A. in tergiversationibus ne-  
quicquam tutum quæri præsidium. Argumenta  
pro Bonorum Moralium Natura, à libera Dei vo-  
luntate unice suspendenda, quatuor in medium at-  
tulerat, à me naturali suo ordine disposita, nec ful-  
cris, quibus eadem inniti voluit Autor, truncata,  
*Orig. Moral. pag. 69. 70.* Horum PRIMUM ad  
Definitivum Boni Moralis Conceptum nos revo-  
cat, in Congruentia cum Norma seu Lege Morali  
collocatum. Quem ceu (a) genuinum Sacrae liti-  
eræ calculo suo approbant, Malum Morale, Bono  
Morali oppositum, *Avouia* seu Disconvenientiam  
cum Lege salutantes. (b) Rustici ex sensu commu-  
ni cognitum venerantur, quotiescunque tritum i-  
stud ingeminant: Ubi nulla Lex, ibi nulla trans-  
gressio. *Specim. Controv. C. 5. §. 2. & 3.* Ad hoc  
Argumentum, præmissa rursus palmaria inter Exi-  
stentiam & Essentiam Boni Moralis, Distinctione,  
quam ipse Autor *Specim. Controv. C. 5. §. 29.* adhi-  
buerat, Distinctionum alioquin facile pertæsus,  
sicque in confuso & turbido tutius piscari edoctus,  
quâ interim tota Disputationis nostræ moles suf-  
fulcitur, investigantis solummodò, anne Boni Mo-  
ralis Idea in signo rationis Voluntatem Divinam  
antevertat; Responderam, admittendo Congru-  
entiam cum Lege Morali, Definitivum Boni Mora-  
lis Conceptum absolvere, sed secundum Existen-  
tiam

tiam considerati ; quo sensu & Malum Morale *Ανομίαν* rectè appellari, nec a Rusticis, singularibus rerum existentis, utpote sensibus vicinioribus, affixis, ineptè frequentari tritum illud : Ubi nulla lex ibi nulla transgressio, utràq; manu largitus fueram ; interea nihil hoc prohibere adjeceram, quò minùs ejusdem Boni Moralis, secundum Essentiam spectati, Conceptus Definitivus in Congruentia cum Recta Ratione Dei & reliquis perfectionibus DEO Essentialibus, quarum ratio non libera Dei Voluntas, sed eminentissima Dei Natura existit, reponatur, hoc sensu Malum Morale etiam *Ασέτης* vocetur, denique non minùs frequentari possit veri-verbium : Ubi nullus DEus, ibi nullum Bonum Morale.

Piget propemodùm memorare, quid hic regerat Autor : *Peculiariter autem, inquit, circa exceptionem ad Argumentum meum primum mirum videsur, cuiusmodi opponat, aut quid ad presentem Questionē faciat, dixisse: Nil prohibes &c. nisi forte putat, qui Bonum Morale à Voluntate Dei deducit, illum idem à Deo non deducere pag. 99. Resp.* Imò verò, quia hoc ipsum puto, Bonum Morale à Voluntate Dei, ita deducentem, ut ejusdem ideam ex Natura Dei, Voluntate Dei alioque Attribute Divino, quod à Libera Dei Voluntate neutiquam suspenditur, hâcque in signo rationis prius est, deducendum, neget, eum à Deo, i. e. Divinâ Natura, Voluntati Divinæ liberæ contradistincta, idem non deducere ; ob id desinet Autor mirari, cui

exceptionem opposuerim, percipiet quoque, quomodo ad presentem Questionem faciat dixisse, quæ à me dicta sunt. Mihi verò mirum remanet, quæ Autor, cum Sui, tum disputationis penitus oblivisci potuerit, & toties à se dictorum inculcatorumque non aliter dememinisse, quàm si copiosè mandragoram bibisset. Ne autè affectatè admirationi suæ tutamen in refutata à se, uti sibi persuasum habet, distinctione inter Boni Moralis Essentiam & Existentiam (cui quid roboris insit, abundè à se ostensum esse, gloriatur) quærat; agedum seposità tantisper Distinctione memoratà, ad oculum monstremus Autori, totum ejus Argumentum primum cum omnibus fulcris suis non probare id, ad quod probandum adducitur Bonum Morale à Voluntate Dei, non autem à Natura Dei, seu Attributo, Voluntate Divinà in signo rationis prioris, deducendum esse probat Autor inde, quia Bonum Morale in Congruentia cum Norma seu Legge Morali consistit, hoc verò porro, quia (1.) à Johanne Malum Morale vocatur *Arbitrium*. (2.) A Rusticis applicatur illud, ubi nulla lex, ibi, &c. Assè si quis (a) Naturam Dei, seu Attributa ejusdem, Voluntate Divinà in signo Rationis priora, Normam seu Legem Moralem esse dixerit, in cujus congruentia Boni Moralis natura consistat, indeque (b) per *Arbitrium* S. Johannis omnem disconvenientiam etiam cum hac ipsa Norma; per Legem autem, in trito isto à Rusticis adhibito, itidem non Legem tantum Positivam, à Voluntate superioris vel

vel Dei, vel Creaturæ libera, sed à Natura quoque Dei ante conceptam Dei Voluntatem, oriundam intellexerit; Nonne sic Argumenti Autoris nervus omnis præcisus est, & nihil ejus probatum relinquitur, quod probandum susceperat? Normæ autem seu Legis denominationem non Voluntatem tantum Dei liberam, sed & Naturam ejus, Voluntate liberâ priorem, sustinere posse, ex isto inter doctos receptissimo loquendi modo constat, quò Deum sibi ipsi Normam & Legem esse innuunt, per Legem non Voluntatem Dei liberam sed Naturam ejus intelligentes, vel ipsius etiam Voluntatis Divinæ, seu Virtualiter Normati, Normam Legemque, quam Voluntas Divina ob id transilire non potest, quia Dei, i.e. Entis, omnibus modis perfecti summæque sancti Voluntas est. Idem præterea hypothesis, supra §. 4. ab Autore concessa, evincit, quâ Bonitatem ipsius Dei, seu *Bona Moralia, Deum decentia, à Voluntate Divina originem non ducere, hoc autem negantē sensu cōmuni destitui*, ultrò fatetur; quâ ratione insimul admittit, Naturam DEI, alicujus saltem Boni, Divini nempe, Normam salutarî posse, & per consequens Normæ seu Legis Denominationem Naturæ Divinæ haud refragari. Tantum de Primo *Pufendorffii* Argumento, cui in *Origimibus* plenè satisfecimus, & de frivola ad hæc ipsa exceptione.

SECUNDUM *Argumentum* Pufendorffianum à Proprietate Boni Moralis nempe ab Obligatione inferre contendit, esse istud Voluntate Divinâ

conceptu posterius, cum omnis obligatio sit à superiori Volente teste *Osfandro, Theologo Tubingensf.*, à Pufendorffio hanc in rem allegato, *Specimin: Controv. C. cit. §. 6.* Ad hoc Argumentum responderam cum *Balch. Meisnero* Theol. olim Wittenberg. inter Vim Obligativam vel Actum Primum, & Obligationem ipsam, seu Actum secundum, distingvendò, quorum prius Boni Moralis secundum Essentiam, posterius autem tantum secundum Existentiam considerati, proprietates existeret, quodque *Celeber. Osfandri* eadem cum *Meisnero* & mecum mens esset, expresso ejusdem testimonio & è diametro Autori adversante, confirmaveram. Obiter præterea monueram, neque istud absolute vero congruere: Omnem Obligationem esse à superiori, nisi de strictè dicta Obligatione capiatur. *Orig. Moral. pag. 62. & 73.* Quid hic *Pufendorffius* regerit? *Circa secundum meum Argum.* inquit, *id quoque mirum est, (pag. 72.) quare negare velis, Omnem Obligationem esse à superiori, ac neminem sibi ipsi obligari, nisi de strictè dicta obligatione capiatur.* Verùm, contrà sanè mirum est, *Dn. Pufendorffium*, tam rigidum aliorum Censorem, hinc censuram eò nomine mereri, quòd ad palmariam responsionem meam nihil exceperit, & nihilominus mihi abundè satisfecisse videri velit. Magis mirum, *Moralium Doctorem* adedò perfrictæ frontis esse, ut *Dn. Osfandrum* pro sententia sua confirmanda adducat, quòd nemo alter ipsi magis contradicere unquam visus est. Quid enim quæso

Sen-

Sententiæ Pufendorfiæ, quam hic inpugnamus, magis contradictorium adque adversum excogitabitur, quàm quod in *Osiandro* legimus? *Hoc se. certum esse, dari quadam Bona & Mala antecedenter ad Voluntatem Divinam, quæ ideo bona sunt, non quia Deus voluit, sed quia in se habent Bonitatem; Et dari quadam mala, quæ non ideo mala sunt, quia Deus mala voluit, sed quia in se sunt mala & turpia.* Annot. ad *Grocius* pag. 59. Maximè autem mirum, Autorem mirari, quod negem, Omnem obligationem à superiori esse, cum ibidem ex assè istud demonstraverim; Nisi forte putet Autor, negari id non posse, quod negandum esse demonstratum atque evictum est, cujusq; contrarium, nec ipse Autor suum fecerit. Si Autor ita mirari pergat, nihil è re magis futurum auguror, quàm ut sibi in memoriam revocet Remedium Admirationis à *Magno Cartesio* adinventum: *Nullum aliud remedium esse ait prævencenda nimia admirationi, quàm acquirere Cognitionem plurimarum rerum, & sese exercere in Theoria earum* (legum, puta, à Proceribus Regni Metaphysici sancitarum) *quarariores & magis inusitata possunt videri. De Passion. Anima: Art. 16. At sanè* (pergit Aut.) *de propriè dicta Obligatione mihi sermo fuit, & quidem de tali, quæ à Principio extrinseco provenit.* Resp.(a) Quorsum ergò ista referenda sunt: *Si quidè sibi ipsi Deus constare velit, obligatur, ut liberè semel creatò homine, certa quadam Bona Moralia ipsi velit esse, & his contraria Mala? Nonne hæc*

D §

Obli-



Obligationem improprie talem inferunt, & ab intrinseco principio provenientiem? (b) Si omnino de Obligatione strictè sic dicta intelligi Autor gestit, & ab externo principio proveniente, concedo quidem hanc Voluntatem Superioris necessariò præsupponere, interim tantùm quàm Actum secundum, non Primum seu Vim Obligativam, ut Verba Meisneri repetam. *De legibus lib. 4. qu. 9.* Id quod sufficit ad hoc, ut defendatur Bonum Morale ad hominem determinatum, secundum Essentiam suam, à Natura DEI, ante conceptam ejus Voluntatem, derivandum esse.

TERTIUM *Pufendorfi Argumentum* ad Auctoritatem *Lutheri & Davidis* provocat, & Bonum Morale voluntate divinà posterius compepiendum esse inde concludit, quia *Lutherus* in *Catechesi puerili* rationem obsequii, præceptis divinis præstandi, à jussu & voluntate Dei arcescit; *David* autem *nuspian* precatur; *Doce me* convenienter agere naturæ rationali, sed semper doce me facere secundum Voluntatem Tuam. *Specim. Controv. c. 5. § 30. circa finem.* Responderam Argumentum nihil concludere. Ut enim, *Lutherus* rationem obsequii præceptis divinis præstandi, à jussu & voluntate Dei arcescit, & *David* dicto modo precatur; non tamen hoc modo negari, etiam idcirco bonum faciendum esse, quia primariò divinæ, secundariò humanæ naturæ seu Rectæ Rationi congruit, atque ut istud faciamus, à Deo petendum. *Enimverò si per imaginem Dei Natura divina participes sumus,*  
quid-

quidni ut divina natura divinamq; imagini congruè vivamus precibus à Deo contendemus? Quare non, ut eidem congruè vivatur, doceamus, Gentium Doctorem imitati, qui Induit, inquit, Novum Hominem secundum Deum i. e. Divinam Naturam creatum in vera Justitia & Sanctitate. Eph. 4. 24. Et paulò post jubet nos esse Imitatores Dei ut filii Dei dilecti Eph. 5. v. 1. Inde, alibi, non tantum Avicular, sed etiam Aëthiar fugendam monet Tit. 2. 12. Orig. Mor. p. 74. Hic cum ne temere quidem mirandi locum reperiat Pufendorfius, nedum verbo unico, quod soliditatis speciem saltem mentiretur, excipiendi, ad monitum quoddam, penitus inpertinens, ceu ad sacram quendam Anchoram confugit, ne modo nihil omnino dixisse videatur. Circa exceptionem ad argumentum meum tertium inquit, verbo monendum, haudquaquam æquipollere: hoc recte rationi humanae naturae & imagini divinae congruit; & hoc per se & sua natura est honestum.

Resp. (a) Quis unquam de horum æquipollentia vel per somnium cogitavit, aut ubinam in tota responsione mea ad tertium argumentum verbo unico 7<sup>o</sup> per se & sua natura honestum memoratur.

(b) Et si 7<sup>o</sup> recte Rationi humanae, humanae etiam naturae, & divinae imagini, homini impressae, congruens, cum 7<sup>o</sup> per se & suam naturam honestum esse, absolutè accepta, haud æquipolleant, posteriori prioribus latius patente; tamen ratione substratae materiae, à qua bona cuncta, Divinam & Angelicam naturam præcisè decentia, exulare iussa sunt.

duo

duo ista, nisi æquivoce interpretæris, Synonyma adæqvata intelligi.

Denique QVARTUM Autoris *Argumentum* Sententiam nostram absurditatis arguit: Futurum nempe, ut, nisi Moralitas ad Deum tanquam Ens Liberum, h. e. ad Liberam Dei Voluntatem referatur, necessario sit ab alio principio extra Deum, puta Fatum Stoicum, aut Principium Deo vel prius vel coæternum, formam rerum determinans. *Spec. Controversiarum* p. 175. & 176. Ostenderam ego, hanc absurditatem sententiam nostram minus ferire, quæ Boni Moralis Essentiam, Attributo divino, in signo rationis Voluntatem antecedenti, atque sic nullo principio extrinseco, quale est Fatum Stoicum, aut principium aliud à Deo diversum, eoque vel prius, vel coæternum, adscriptum sit. *Pufendorfius* in hac quoque responsione miri nihil ne fingere quidem aptus, ad monitum denuo delabitur, scilicet mirorum numero monitorum numerum exæqvaturus. *Circa exceptionem denig,* ad QVARTUM meum argumentum inquit monedo, illam abs Deo necessitatem utiq; rrmovendam, per quam voluntati ejus detrahatur, quod creatura tales factæ sint. Ceterum infelix admodum est monitum hoc, vel petitioni principii vel Ignorationi Elenchi huiculer obnoxium, ut monitore opus habeat cum *Pufendorfius*, qui in posterum à monitis dandis serio ipsum dehortetur, tum Lector, ne monitis hujusmodi fortean auscultaturus, supra quam dici potest, decipiatur. Etenim Necessita-

tem illam abs Deo removendam esse, quâ Essentiæ rerum per consequens boni moralis, quatenus possibiles, necessariò ex omnipotentia Divina etiam ante conceptam Dei voluntatem inferri asseruntur, non monendum, sed demonstrandum est, & fundamenta contrariæ sententiæ evertenda, quibus inconcussis, omnia monita ridicula evadunt & *πρωτοῖς ψεύδεται* laborant. Vice versâ, necessitatem illam abs Deo removendam esse, per quâ Existentiæ rerum & per consequens Bonum Morale existens, verbò, Creaturæ tales factæ, voluntati divinæ detrahuntur, uti nemo in dubium vocat, ita ærem ferit, ceu à statu controversiæ alienissimum.

## §. XII.

Cunctis sic ex Voto confectis, Conceptuum nostrorum Ordinem tandem adumbrare visum fuit *Orig. Moral. p. 29. & 80.* quod quia citra animadversionem à *D. Pufendorfo* prætermitti non potuit *Spicileg. §. 12.* agendum lustremus, quæ qualis & quanta illa sit, ut omnes cordati intelligant, hunc quid animadversione notaret, nò intellexisse. Concedit in rerum cognitionem semet penetraturo incumbere ut primò omnium Deum concipiatur. Sed negat in concipiendis ejusdem Dei Perfectionibus ordinem prioritatis & posterioritatis tenendum esse, *quòd omnes Deo essentielles sint, quarum in respectu ad ipsum Deum una non est prior ac posterior alterâ, nec una veluti ex alia manat.* Quæ ratione aliud nihil facit *Pufendorfus*, quàm ut vel intellectum sibi infinitum polliceatur, qui opus non

non habeat rerum Deiq; perfectiones, ratione distinctas, distinctis actibus iisque ordinatis concipere, sed qui uno eodemque actu (quod solum Deū est) omnia Rei cujusvis prædicata distincta intellectione assequi possit; vel omnem hominis & finiti intellectus confusam cognitionem, nullam distinctam esse cupiat, tam rhetoricationibus suis, quam hypothesi de proceribus regni Metaphysici ex mundi regno extirpandis, hac ratione egregie consulturus. Quod interim qualem castigationem mereatur nemini ignotum est. *Excepit D. Pufendorfianus* non Prioritatem & Posterioritatem Perfectionū Divinarum in respectu ad modum nostrum concipiendi, sed ad Deum ipsum, & sic Ordinem non Rationalem, sed Realem negasse, indeque Perfectiones Personales exemisse, utpote Reales ejusmodi ordinis citra modum nostrum concipiendi capaces. Resp. Si hoc omne est, quod *Pufendorfianus* intendit, rursus sciens volensque cum umbra colluctatur, probè gnarus, me non in Ordine Rerum, sed Conceptuum designando & delineando occupari, proque eo contendere. Aërem autem toties verberare & cum propriis Phantasmatis congregari, quali animadvertione dignum sit, cordati iterum discernant. Interea Ordo Conceptuum à me constitutus per *D. Pufendorfianum* hætenus factus tectusque remanet, Et Deo, omnium primò conceptò, in perfectionibus ejus concipiendis ordine procedendum esse, nil est quod prohibet. In hac vero ordinata concipiendi ratione *Omnipotens*

potentia DEI Voluntate divinâ necessariò prior concipienda venit, cò, quòd Potentia in signo rationis Actum semper antevertit; Indeque DEus cum primis in respectu ad res extra se positas, prius posse velle, quod Omnipotentia comprehenditur, quam actu velle, intelligitur. Quod si verò Omnipotentia Dei Voluntate Divinâ in signo rationis prior est, utique Objectum Omnipotentia, distinctum & definitivum hujus conceptum ingrediens, Voluntate divinâ prius quoque concipiendum erit. Ad quod Objectum cum rerum Essentia omnes seu omnes prædicatorum essentialium connexiones posibles (utpote sub-omni possibili, adæquato Omnipotentia Objecto, contentæ) necessariò referantur, in propatulo est, & has ante conceptam Divinam voluntatem concipiendas esse.

At verò, *salvus Deus necessarius est, & quia præter Deum nihil necessarium est, igitur quando ad res extra Deum concipiendas progredi volumus, primò omnium concipiendum est, Deum voluisse aliquid extra se producere, quâ voluntate Dei non positâ, ejus omnipotentia, velus otiosa quiescere intelligitur.* Spicil. pag. 100. Resp. Solus Deus necessarius est necessitate à Priori, ut nulla licet hypothefi factâ, ipse tamen concipiendus sit; Sed hoc non efficit, quò minùs, ob Deum, cum perfectionibus quibusdam, easque inter Omnipotentia conceptum, necessaria sint rerum essentia necessitate à posteriori;

riori, etiam nondum conceptâ Dei Voluntate, & Ante quam Voluntatem interim conceptam, nullas res ceu Existentes concipiendas esse & fateor lubens & sæpius fallus sum, itemqve Omnipotentiam Existentiarum, non autem Essentiarum respectu, velut otiosam quiescere, quin per solam Voluntatem Deum rebus Existentiam pro sapientia & bonitate sua assignare atq; ipso attribuere. Unde quemadmodum D. Pufendorfius rectè credit, Strimesium non prohibiturum, quò minus Voluntas DEI primum principium rerum extra se positarum, quâ Existentiam earum, sit, ac in posterum maneat; Ita vice versâ Strimesius credit, D. Pufendorfius non prohibiturum, quò minus Omnipotentia Divina Prima Origo rerum extra se positarum, quâ Essentiam earum, sit & in posterum maneat. Aliàs tantò certiores fides Strimesio fecerit Pufendorfius. se, uti omnia possibilis ita & impossibilis, seu contradictoria, à sola Voluntate Dei cum aliis, qui tamen per omnia sententiæ ejus haud assentiuntur, suspendere, atqve per Consequens existimare, bis duo, si Deus aliter voluisset, nõ quatuor futura fuisse, propria hoc pacto vineta cædens, quibus in quæstione, confusè nec de determinata & certa alicujus Rei Natura formata, ad Omnipotentiam Dei recurrendum esse retrò largitur Spicil. Controv. p. 94. itemqve (quia ut res sit numerabilis, sufficit si qualiscunq; sit) Contradictionem etiam citra respectum ad Voluntatem Dei hic ostendi posse ominatur, sæcus atqve in actionibus ali-

alicujus Entis turpibus. *Spicil. Controv. p. 69. coll. cum Specim. Controv. cap. 5. §. 21. & Originib. nobris Moral. p. 62. & 63.*

§. XIII.

SECUNDAM cum *Pufendorfo* percurramus Controversiam, ut sola TERTIA de Socialitate, Moralitatis Principio Primo seu Fundamento ultimo, adhuc restet expendenda. In hac tractanda Autor non tantum Socialitatem omnem, Scriptis suis tantopere celebratam, facto iplo exterminatum it, sed Ingenuitatem insuper, Eruditionem, Modestiam atque Industriam, Virtutes ac Qualitates vel solitario homini summè necessarias, nimium quantum insuper habet, quod citra animadversionem prætermitti non debet. Enimverò (1.) Ex eo nihil sanè Ingenuitatis atque candoris enitet, quod initio §. 13. non tantum reprehendendam, sed & vel fraudis, vel incuriæ arguendam censet factam à me *§. Societatis* in locum Socialitatis, Termini à se adhibiti, surrogationem. Nam à justa reprehensione non minus, quam à fraude atque incuria hic me absolvunt, (a) *Grotii Prolegomena*, ex quibus supra dictum Principium petitum est, non Socialitatem sed Societatem commemorantia. (b) Scriptum meum, in quo Socialitatis Terminus eo in loco, ubi quàm maximè Autori inservire posse videbatur, & formali quadam distinctione à societatis voce diversus intelligi, haudquaquam neglectus est. *Vid. Orig. Moral. p. 99. in fine*, addita insuper ibidem ratione, quare non So-

E

cia-



cialitas sed potiùs Rationalitas Moralitatis fundamentum statuatur, Rationalitatis conceptu conceptum Socialitatis antevertente; ad quod Autor obmutuit. (c) Scripta *Dni Pufendorffii*, Socialitatis & Societatis Terminos indifferenter sæpenumero adhibentia. *Vid. inter alia Specim. Controv. p. 173.* Deniqve (d) Res ipsa seu Materia substrata & sana Ratio; Cùm in Controversia nostra perinde omnino sit, sive Societatis, sive Socialitatis Tetminus usurpetur, id quod ad oculum vel ipse Autor demonstrat, cùm simul ac Societatis Terminum removisset, Rationes meas in *Orig. Moral.* contra Principium hoc allatas, Socialitati, non Societati opponit, ejusdemq; Valoris adhucprehendit esse, quàm si Societati opponantur, dum ita scribit: *Rationes hasce affert, quia ex ista Socialitate non possunt deduci officia hominis erga Deum &c. Spicil. Controv. §. 13.* Nec istud porro ingenuitatis quicquam habet, *Pufendorffii*, dum in refutando Principio hoc: *Societas seu Socialitas* (quod tamen non æq; commodè dicitur) *est colenda*, occupatus fui, istiusque particularitatem & inadæqvationem respectu totius Moralitatis ostendere in *Orig. Moral.* ita generaliter allaboravi, ut sæpe numero ad *Pufendorffii* sententiam non respexerim, quin eum aliud velle subinde annotaverim; tamen in *Spicil. Controv.* nonnulla, quasi sibi opposita, ideo solummodò assumere, ut tantò facilius ista arrodere, sicqve aliquid ad rem dicere videri posset. *Qvale est, quod dùm dixi*  
 pri-

Principium de Societate colenda non posse esse fontem Religionis Naturalis, sicque inadæquatum esse respectu omnis moralitatis; ipse respondet, à se Religionem Naturalem & Jus Naturæ pro distinctis Disciplinis haberi. *Spicil. pag. 101. ab init. à me jam diu ante expressis Verbis observatum, Orig. Moral. p. 98.*

II. Ex eo nihil eruditionis effulget, quòd tantopere urget D. Pufendorfius, Religionem Naturalem & Jus Naturæ pro distinctis à se disciplinis haberi; Etenim cur Species à Genere debeat discerpi & aliam Disciplinam constituere, quando iisdem cognoscendi Principiis gaudet, Autor haud edisseruerit, utpote præ alto supercilio fastuqve, quò Theoreticam Philosophiæ partem, ad quam pertinet de Disciplinarum Constitutione disquirere, aspernatur, horum talium propemodùm ignarus. Religionem autem Naturalem esse Juris Naturæ partem nemo negaverit, qui Pietatem Virtutibus Moralibus anumerandam censuerit. Neq; istud quicquam eruditionis habet, dixisse: *Non repugnat præcepta de Socialitate colenda seu dilectione proximi esse partem religionis naturalis præcipuè quatenus exercentur obsequio in communem Creatorem testando; & Socialitatis humana præceptis firmitatem à religione accedere;* (de quorum duorum repugnantia nemini quicquam in mentem venit) & tum fortean arbitrari, non satis clare à me ostensum esse, ex Socialitate officia hominis erga Deum, seu Religionem Naturalem non posse deduci, pro-

indeque istam inadæquatam Moralitatis in communi Fundamentum esse. Denique nec hoc vel micam eruditionis sapit, scire, velle quænam officia homini solitario convenient, ab iis distincta, quæ vel Deo, vel proximo debentur, (de his enim quæ nullum planè respectum ad Deum & alios homines habent, nemo nisi Pufendorfius somniat): Nam hîc *non objicias fortè Castitatem*, sed disertis verbis objecta à me fuit cùm Temperantia in victu, tum Castitas; adde nunc, si non omnia, saltè quædam eorum officiorum, quorum circa præsentis controversiæ tractationem *Pufendorfius* transgressorem & prævaricatorem exhibemus. Mirum sanè acumen, Castitatem virtutem esse, Proximum tantùm nostrum respicientem, sicque Societati unice dicatam; Subtilius quid profectò expectassem à *Pufendorfo*, quàm ut diceret, *in hominem, ad solitariam vitam à Deo destinatû, non magis cadere posse Castitatem, quàm in arborem aut lapidem.* Quasi verò non magnus profectò pudor esset, tanto Moralium Doctõri à me demum inculcandum esse: Adamo etiam ante creatam Evam tum Castitatem competiisse, tum, licèt Eva nunquam creanda fuisset, eandem in ipsum multò magis convenisse, quàm in Arborem & Lapidem, nisi fortean Castitas Vegetativam atque inanimatam non minus ac rationalem Naturam decet.

III. Ex eo nihil Modestiz enitet, quod in genere monentem: Jura Naturæ seu Moralitatem etiam Officia brutis exhibenda complecti, indeq; Socia-

Socialitatem non adaequatam omnis Moralitatis  
 Fundamentum esse evincens, subannet *Pufendor-  
 dorfius*, & nimis in *Asinos pietate tangi* petulanter  
 ac ludibundus, quin & imprudenter jocetur, cum  
 immediatè alleget *Lib. suum 4. cap. 3. §. 6. de Jure  
 Nature & Gentium*, in quo simili in asinos pietate  
 tactus fuisse deprehenditur. Quod si interim  
 D. Pufendorfius nullà omnino brutorum tangitur  
 Misericordià, caveat sibi necesse est, ne *Asinis ipsa*  
 stupidior factus, atque *Hebræis Noachidis*, juxta  
 septimum iis datum præceptum, ab omni imma-  
 ni erga animalia crudelitate abstinentibus, (*Vid.  
 Seldenum de Jure Nat. L. 1. c. 10.*) infestus infen-  
 susque, videri possit mereri, quod *Sapiens Hebræus*  
*asinis præstare jubet*; Vel saltem, non justis, sed  
 impiis ab eodè annumeretur, juxta istud à *Luthero*  
 ita redditum: *Der Gerechte erbarmet sich seines  
 Viehes / aber das Herz der Gottlosen ist unbarmher-  
 zig.* Prov. 12. 10.

Denique IV. Ex eo nihil industriæ enitescit,  
 quòd secundam meam Rationem, quã Principium  
 de Socialitate colenda, Fundamentum ultimum  
 haud esse demonstraveram, sicco pede transit, ut in-  
 de denuo appareat, *Pufendorsum* valde superfun-  
 ctoriè Scriptum meum, quòd sibi refutandum  
 sumpsit, legisse; Sed nimis fortean evidens ista  
 erat, ut quod reponi posset, non inveniret Autor.  
 Nam singularum præceptorum, etiam alios ho-  
 mines spectantium, Rationem à priori atque fun-  
 damentum, esse Principium, quòd suum cuique

tribuendum præcipit, sole meridiano clarius est, sicque falsitatem asserti Pufendorfiani: Principiū de Societate non genuinum solum & manifestum, sed & sufficiens atq; adequatum esse, ut non sit utlum præceptum Juris Naturalis alios homines spectans, cujus Ratio non ULTIMO exinde peratur de Jure N. & G. L. 2. C. 3. §. 19. felicissimè detegit atq; in apricum producit.

*Tertio* mea Ratio contra ultimam principii de Socialitate fundamentalitatem allata, non Dn. Pufendorfo sed Hobbesio opposita est, Principium de Socialitate non tantum pro fundamento Moralitatis venditanti, sed & omnem inde Obligationem derivanti, in quo cum Autorem Hobbesio haud assentiri intelligā, isti præ hoc de meliori sententia gratulor, precatus interea, ne me, aliis etiam districtum occupationibus, ad Scripta sua legenda tantopere obstringat, quo pacto omnem Moraliū Scientiam à Librorum suorum Lectione unice suspendere intelligi posset. Admodum autem inperptinens Instantia est, ad Rationem meam *quartam* elidendam adducta, indigna omnino, cui vel tantillum chartæ atque temporis tribuamus. *Quinta* etiam Ratio, confirmandæ duntaxat Sententiæ, Principium de Socialitate colenda inadæquatum Moralitatis, in genere acceptæ, Principium esse, inservit, nec intendit Pufendorfo ex Socialitatis præcepto, ista solummodo officia, quæ proximum spectant, derivanti, & quantum hoc ipso eratum sit, in superioribus satis superque notato, contra-

contradicere. Ut ex nimia animi procacitate profectum cenferi debeat, quando ait: *Indagandum esse quempiam Strimesio, qui axiomata Justitia Divina, quæ alia sunt innocentem ab æternis pœnis immunè afferere, peccatum haud impunitum dimittere, ad Socialitatem hominis referat.* Ecce enim talis quispiam mihi magis quàm *Pufendorfio* indagandus? Hæccine ego ad Socialitatis Principiū revocari posse docui, tot rationibus à me oppugnatum? Id fortean *Pufendorfius* discuperet, amore Principii hujus, mirum in modum ab iplo jacturati, inque majus celebrati, illectus. Mihi profectò sufficit in *Originibus meis Moralibus Dissertat. 3.* tale Principium ostendisse, ex quo omnis *Moralitas*, etiam Deo ipsi conveniens, adæquatè atque ultimò deducitur, aliis verò, eandem speciem mentientibus, larvam detraxisse, eorumque vel Inadæquationem vel Emanationem ex alio, quopiam, ceu priori, ad oculum demonstrâsse.

§. XIV.

**H**ujusmodi autem Primum omnium & Adæquatum est, *ſuum Cuique Tribuere*, ſenſu à me explicato, qui non tantum cujusvis rationi obvius eſt, ſed & doctiſſimorum Virorum calculò comprobatur. *Vide Orig. Moral. pag. 105. & 106.* Hoc Sudès in oculis *Pufendorſii*, qui *Moralium Doctrinam* Univerſam à ſe ſolo, ceu ab Oraculo Apollinis prodiſſe aliis perſuafum vellet, ob id omnem navat operam, ut iſtud tam Univerſalitate & Adæquatione, quàm Prioritate & Originatione activâ  
E 4
exuat.

exuat. Universalitatem sub finem §. 13. ; Primitatem §. 14. oppugnat, sed irritò utrumque conatu. Ad prius quod attinet; *Sanè inquit, Essentialis Dei & Imperata hominum iustitia quoad formam eadem non sunt. Quod si verò non eadem quoad formam (generalem intellige) ex eodem fonte derivari haud possunt.* Si quæras ex *Pufendorffio*, quâ nixus ratione tam audacter Iustitiam Divinam & Humanam quâ Formam generalem easdem esse neget, cum Christus Dominus Perfectionem, Sanctitatem, & Misericordiam nostram, ad Misericordiam, Sanctitatem & Perfectionem Dei ceu Ideam exigendas jubeat; Respondet: *Ad Formam Iustitia quàm maximè pertinere, ex quo Principio id quod iuste factum dicitur, sit profectum, in fine §. 13.* Ita verò ex nova Philosophia, id est, cerebri sui inventis, philosophatur Autor, adversus Proceres regni Metaphysici rebellis. Ecquis unquam Philosophorum Principium Efficiens ad Formam rei pertinere asseruerit, atque externa cum internis commiscuerit? Aliudne quâ Formam Generalem Æquum Bonum Iustumque à *Pufendorffio* Holmiæ, quàm à *Strimesio* Francofurti peractum? Sic sanè in varias Iustum Formas mutabitur, & tot erunt Iustitiæ Formæ, quot ejusdem cultores, portas Thebarum in infinitum multitudine excessuræ. Respondet (b) *Qui confidem verit, qua à me super differentia Iustitia Divina & Humana tradita sunt, agnoscet, absurdè dici, Iustitiam Divinam & Humanam quâ formam*

*formam similem esse, non quâ modum & gradum.*  
 Quænam autem ista sunt à Pufendorffio hac super  
 re tradita? Ea nimirum, quæ solidè à me refutata  
 agnoscet quivis, qui expenderit tradita *Orig. Mo-  
 ral. p. 103. 104.* Quod si horum soliditas vacillat,  
 eccur à Pufendorffio, alibi, ad se haud pertinentia,  
 refellente, ne verbâ quidem tacta sunt? At fortè  
 propterea ad ista reflectere superfedit, quòd unum  
 atqve alterum paralogismum, pro Justitiæ Divinæ  
 & Humanæ quâ Formam diversitate ab ipso pro-  
 latum, citra animadversionem tum temporis præ-  
 termisi. Hanc itaque superfunctoriam Pufen-  
 dorffianorum Scriptorum Lectonem nunc diligen-  
 tiori inspectione compensare annitar, ne ampliùs,  
 quod quærat, habeat. Itaque præter ea, quæ  
*cit. loc. in Originibus nostris* enervata diximus, ad-  
 huc tria Autor urget, his ab ipso expressa verbis.  
 1. *Inter homines Sanctum solems vocare, qui  
 crasioribus sese vitiis abstinet & officii est obser-  
 vans. Ad isthunc modum quis Sanctitatem Dei  
 conceperit?* 2. *Justus inter Homines habetur,  
 cui cordi est, Neminem ledere, Suum cuique tri-  
 buere. Ast DEO Jus est, quod creavit destru-  
 endi etiam cum aliquo doloris sensu.* 3. *Prom-  
 issa sua non potest non Deus servare, homo non  
 debet non servare. Et promissum humanum ca-  
 dit in debitum; Dei promissa ex mera gratia  
 præstantur. E. Justitia Divina & Humana  
 quâ Formam Generalem, non conveniunt.*



Cœterùm quis non videt universa hæc atque singula consequentiâ laborare & generalem Justitiæ Formam, in τὸ Suum cuique tribuendum, consistentem, cum materialibus conditionibus, huic vel isti agenti adhærentibus, item cum modis atque gradibus Justitiæ, confundi. Etsi enim (a) inter homines etiam sanctus, æquivocè scilicet, vel saltem secundum quid vocatur, qui crassioribus sese abstinere vitii; numne minus sanctus vocabitur, qui etiam ab internis vitiis sese pro virili abstinet. At verò, ut hujus Sanctitas cum DEI Sanctitate quâ formam conveniat, ad id sufficit, quò sanctitatis humanæ & divinæ eandem formam generalem esse asseramus, Sanctitate interim divinâ infinitis excellentiæ seu eminentiæ gradibus humanam superante, indeque nec ad istum, nec ad illum modum gradumque concipiendâ. Etsi (b) Justus inter homines habetur, cui cordi est neminem lædere &c. Deo verò jus est, quod creavit, destruendi, etiam cum aliquo doloris sensu; Tamen τὸ Suum cuique tribuere adhuc Forma Justitiæ utriusque, communis remanet. Nisi fortean Deus destruendò creaturam, cui esse dedit, hoc ipso suum eidem non tribuat, præsertim si hoc fiat cum aliquo sensu doloris. Aut, quasi verò τὸ esse habuisse & cum quodam doloris sensu idem amittere, melius non sit, atque omnino non extitisse. Certe si (uti Autor subnectit) Deus nulli hominum quicquam debere potest, ut eo negato in-

juri-

juriam fecisse dici queat, Quare suum non tribuisse cuique censendus erit, dum Creaturam, conservare definit, ultimumque conservationis momentum doloris sensu claudit finitq; (c) Promissa sua Deus non potest non servare, Homo non debet non servare; Item promissa humana cadunt in debita; Promissa Dei ex mera gratia præstantur. Hoc interim nihil quicquam obstat, quò minùs Justitia Dei & hominum etiam in promissis servandis quàm Formam identificentur. Differentiæ hic recensitæ non ex forma justitiæ divinæ, sed ex diversitate agentium fluunt. Deus quicquid est, necessariò est, per consequens, necessariò quoque verax in promissis, nec, ceu summus, à quoquam strictè dictâ obligatione obstringitur. Vice versâ, homo quia creatura est, quicquid est, contingenter saltem à priori est, per consequens, contingenter verax in promissis, indeque ad veritatem à superiore Ente DEO, ad ejus imaginem, id est in Sapientia & Sanctitate creatus est, obligatione strictè sic dictâ obstringi potest

Sic *Universalitas* Principiû nostrî sibi constat, ad ipsas quoque Dei actiones extensa. Nec minùs clara certa que ejus *Prioritas*, commodam rationem omnis bonitatis particularioris ediferens. Prioritatem intelligimus Naturâ, omni generi respectu specierum suarum conveniens. Nec juvat dixisse *Pufendorfium*: τὸ *Suum cuique tribuere, sensu à nobis in Originibus exposito, vera*

*verâ certam duntaxat iustitia Speciem absolvere;*  
 Hoc enim ne juranti quidem crederem nedum  
*re verâ dicenti Pufendorfo, demonstranti cedam*  
 lubentissimè. Neque magis ridicula est illatio :  
*Furtum non est faciendum &c. Quia suum cuique*  
*tribuendum, quàm : Pufendorfius injustus Dispu-*  
 tator est, quia non suum cuique tribuit; cùm ter-  
 mini intermediû quicumque, tùm istic, tùm hic  
 excogitari aut afferri unquam apti, in hoc prin-  
 cipiû omnes tandem resolvantur, quò suum cui-  
 que tribuendum edocemur; hoc verò ipsura  
 solâ terminorum explicatione pateat, à nobis e-  
 rutorum *Praxiol. p. 27. collas. cum p. 30. & fufius*  
*Orig. Moral. p. 113. & 114.* Subtilius hîc à nemine  
 expectare poterat *Dr. Pufendorfius,* càm quod-  
 cunque tandem principium Primum sive Theo-  
 reticum sive Prædicum eligat, ipsi in solâ termi-  
 norum ejus explicatione postliminiò subsisten-  
 dum erit: Nam omnium primò prius adhuc da-  
 ri, quò probari à priori possit, subtile nimium  
 existit; ut omnem rationis aciem effugiat. Ne-  
 ganti *Hobbefo,* aut homini magis adhuc inspio:  
*Civi adversus Civitatem aliquid suum esse,* contra-  
 rium demonstrandum erit, idque per quascun-  
 que idoneas rationes donec deveniatur ad Pri-  
 mum, quod itetum iterumque *Pufendorfo,* quàm  
 toties in *Spicilegio Controversiarum* illius inme-  
 mori, inculcandum ducimus :

SUUM CUIQUE TRIBUENDUM.

## BENEVOLE LECTOR.

QVò tantò magis in aprico sit, me ad singula à *Dn. Pufendorfo* objecta, eo, quo par est, modo, respondisse, nec modestiæ limites ullibi trāsivisse, Textum ejus integrum hoc loco subnectere placuit, qui ita se habet.

**S. I.** **A**ccedendum tandem est ad *Dn. Samuelem Strimesium* Professore[m] Francofurtanum, quem adparet ingressu novi muneris me potissimum oppugnato inclarescere voluisse. Cui & ipsi quantoperè extra oleas vagetur, paucis ostendendum est, postquam jam planè istis litibus defungi placet. Ac in *Praxiologia* quidem *Apo-dictica* p. 43. cum *Hobbesii* statum naturalem, atrocibus verbis damnasset, addit: *Ob eandem me non ullam mereri excusationem, quod statum tantum corruptum, & ab omni integritate alienum tanquam hypothese[m] non quidem veram, sed fictam propterea prestruo, ut disciplinam ita generaliter traderem, & eadem ad captum Ethnicorum foret, quos Statum Integritatis, vel rebus Creationis ignorare facio ex solis divinis scripturis addiscendum.* Circa istam accusationem observandum, primò *Strimesium* mihi de suo affingere, quod supponam statum tantum corruptum, & ab omni integritate alienum. Contrarium enim hujus à me docetur l. II. c. 1. §. 5. & l. II. c. 2. §. 9. Deinde naturam hominis nunc corruptam ego non sup-

po-

pono tanquam *hypothesin fictam*, sed tanquam thesin nimis quam veram. Nisi fortè Francofurti homines absque labe originali nascuntur. Sed longè diversa sunt, quæ à me velut ficta tantisper supponuntur; quæ accuratiùs expendisse decebat *Strimesium*, antequam vivum & respondere paratum lacefferet. Denique, num rectiùs dicatur *status creationis* quam integritatis alii litigent. Id saltem constat, illam integritatem & sanctimoniam, quæ lapsu primi hominis amissa fuit, Ethnicis ignoratam, ex sola S. Scriptura addisci. Cujus contrarium non evincunt dicta quorundam Philosophorum *Philippo Mor-nao* & aliis adducta, quæ nullam aliam corruptelam hominum, quam ex prava adsvetudine & velut contagio præsupponunt. Undè & nimis pro imperio pronunciat *Strimesius*: *Non esse necessarium, ut in disciplina Juris N. homo nunc confideretur, prout ipsius natura est corrupta, & prout est animal multis pravis cupiditatibus scatens.* Atqui citra istam considerationem æquè perfectum habebimus Juris N. systema, acsi Theologi suadisciplina peccatum & corruptionem hominis excludere vellent. Quòd tamen hi altiùs ad primævam integritatem adscendant, ratio est, quæ in disciplinam Juris N. non cadit. Et ipse *Strimesius pag. 87.* tam de statu *institutionis*, quam *perfectionis* post hanc vitam pronunciat: *Neuter status heic attendi meretur, alibi nempe in Theologia iterum atque iterum inculcandus.*

§. 2. *Haut faniora sunt, quæ pag. 89. seqq. circa statum naturalem à me traditum cavillatur. Ubi primò per summam injuriam idem cum Hobbesio inculcare me arguit, quem priùs horridorum errorum reum peregerat. Ast ego efficiam, ut omnes cordati intelligant, illum, quid carperet, non intellexisse; quod quale sit nemini ignotum est. Quàm frivolum enim est, quod p. 90. ait: *Statum naturalem, qui per fictionem talis est, nulli omnino usus inservire, nisi ut subministret, vel quo modo genus humanum calumniis possit prosciindi, vel quo pacto origo rerum Creatori erepta cum Epicuro atomis, aut alii ineptiori causa tribui.* Jurares, istum Friderici Gesenii fraternitatem ambire. Talia refutationem non merentur, quæ scriptorem, quid scriberet, nescivisse arguunt. Circa statum naturalem qui revera existit, monet: *Male ei opponi adventitium, qui statum etiam inter patrem & filium complectitur, quam maximè naturalem.* Nimirum incognita est ambiguitas vocabuli naturalis, quod pro diversa opposicione diversas sortitur notiones. 2. *Contradictoriè dici: Statum hunc id habere, ut quis cum aliquibus hominibus peculiari societate jungatur, & tamen hominem nemini, præterquam Deo in eo subjectum esse, omnibus verò hominibus æqualem.* Malè sit illi, qui *Strimesio* librum meum legenti perspicillum subduxerat. Sanè neque citato loco, neque alibi extat; in eo statu hominem soli Deo subjectum omnibus hominibus*

bus æqualem esse; sed ista verba ibi extant: *Quis cuius alteri, cui neque ipse subiectus est, neque eundem sibi subiectum habet, æqualis censetur.* Unde magni stuporis est argumentum, quod ostendi sibi à me petit societatem, in qua omnes æquales sunt, nec alter alteri subiectus. Magnus profectò pudor est, quod Professori Moralium à me demum inculcandum sit, quod conjuges, & parentes cum liberis invicem non vivant in statu naturali. Quod de cætero ab inæqualitate virium ad inæqualitatem jurium non liceat argumentari, discere poterat ex l. 3. c. 2. §. 2. de J. N. & G. Æquè stupida est, quæstio p. 91. *Ubi locorum reperitur hominum societas, in qua omnes tum ex proprio iudicio agunt, ex proprio iidem iudicio de mediis ad sui conservationem facientibus deserviunt, tamen singuli agunt, quæ recta rationi consona sunt.* Ego trado de juribus eorum, qui in libertate naturali vivunt. *Strimesius* quærit, ubi locorum fit societas, in quâ omnes utantur in iuribus libertatis seu status naturalis, id est, quæ non fit societas. Est magnæ patientiæ argumentum, etiam à puero talem quæstionem æquo animo audire. Denique conservationem sui à me conservationi universi non opponi, satis adparet ex iis, quæ à me traduntur l. II. c. 3. §. 16. Et sui ipsius conservationi quàm maximè studet, qui credit, se non sibi, sed toti mundo genitum. Quia porrò *Strimesius* p. 120. quam *Fridericus Gesenius* in me calumniam evomuerat, regustat, etiam illa, quæ huic

huic dudum à me responsa sunt, sibi dicta putet. Ad illam quoque calumniam, quæ p. 221. ponitur, alibi abundè responsum. Vanum quoque est, quod contendit, non nisi quatuor hominum Status dari posse, eoque naturalem statum non dari: cum quadripartita illa divisio ad Theologiam spectet; quæ non obstante in illa disciplina alia humani status potest esse consideratio.

§. III.

Sed & circa illam quæstionem, num quid malum sit ante omnem legem divinam & humanam, aliquot sophisticationes promulgat *Strimesius* p. 232. *Si nulla*, inquit, *actio ante interdictum vel divinum vel humanum mala est, tum nec Deus nec homo unquam malum prohibuerunt. Ratio consequentia est, quia juxta hanc hypotesin prohibitio semper prior est malo, quod per se propter illam demum naturam suam nanciscitur. Sed illud absurdum foret dicere: Deum nihil unquam prohibuisse, nisi quod sua natura vel bonum vel indifferens fuit. E. nec illud sibi constat, nullum sua natura bonum vel indifferens esse.* Enimverò si sophismate hoc nostram sententiam petit *Strimesius*, longè ipsum ratio fugit. Nos quippe illam actionem necessariò bonam dicimus, quæ cum conditione humanæ naturæ à Deo conditæ ita congruit, ut hæc sine illius observantia subsistere nequeat: malum contra, quæ ita repugnat naturæ, à Deo conditæ, ut eandem destruat. Unde absurdè concipitur actio bona aut mala, antequam concipiatur

F  
subje-



subjectum, à quo actio illa exercenda sit, ni effectum prius, quam causam concipere velimus. Non autem credo aliquem eo absurditatis prolapsum, ut diceret, malum actu extitisse ante legem, quæ humano generi coæva; id est, adjunctum ante subjectum. Id autem ego nusquam tradidi, quodvis malum per & propter solam prohibitionem naturam demum suam nancisci. Jungitur quippe à me prohibitioni certa humanæ naturæ structura à Creatore facta. Inde & secundum istius argumentum ultrò corrui: *Si nihil ante est malum, quam prohibitum, & ideo solum malum, quia prohibitum, tum omnia mala possunt fieri bona.* Nam ut quæ lege naturali repugnant, mala sunt, non à nuda & sola prohibitione divina oritur, sed etiam, quia indoles humanæ naturæ à Deo condita violatur. Non minùs inane est tertium ratiocinium: *Si omnia per se sunt indifferentia, tum Deo impossibile est ad quidquam nos obligare.* Nam aliàs facta estiam clarissimâ legis promulgatione adhuc in nostra potestate situm erit, num illi promulgationi fidem habere velimus, nisi per se bonum sit, Deo credere, & per se malum, illius veritatem in dubium vocare. Ad hoc jam in *Specim. Controv. cap. V. §. 35. p. 205.* respondimus. Nam quod homo necessario fidem Deo adhibere & parere debeat, id provenit ex indole naturæ humanæ, quam Deus ipsi in creatione assignavit: quæ non posita, intelligi nequit, necessarium esse hominem Deo parere. Quæ autem rationalis creatura intelligit, hanc legem

gem à Deo conditam esse, ei non amplius integrum est iussa Dei pro libidine sequi aut detrectari; quia hoc indoli creaturæ rationalis adversatur.

S. IV.

Idem tamen in *Originibus Moralibus* non parum in melius profecisse videtur, saltem circa præcipuam quæstionem super origine moralitatis in actionibus humanis; quam ut ante voluntatem divinâ reponat, extrema argumenta videtur adferre. Ut non videâ, quid istis destructis amplius adversus eam sententiam reponi queat. Eò magis opera danda est, ut plane & perspicue difficultates istæ removeantur. Ac primo quidem monendum, sermonem nobis esse de sola moralitate in actionibus humanis. Nam quod bonitas divina à voluntate divina originem non ducat, nemo cui sensus communis, negabit. Unde à *Strimesio* quæstio insidiosè formatur: *num nihil omnino boni concipi possit ante voluntatem divinam?* pag. 65. Deinde quanquam alii eandem mecum, aut similem sententiam propugnent; tamen quatenus vel eandem justo latius porrigunt, vel ex alio fundamento deducunt, me nolle teneri vel ad fulciendum istorum argumenta, vel ad consequentias, quæ illis impinguntur admittendas, præsertim ubi non strictissime cum nostra sententia conveniunt. Nam & sæpe exiguo discrimine veri & falsi confinia discernuntur; & fieri potest, ut duo eandem thesina tueantur, sed quatenus ex

diversis principiis eandem deducunt, in uno sinistra quædam consequentia hæret, abs qua alter est immunis. Unde cæteri, quos iste impugnat, Clarissimi Viri, si adhuc in vivis sunt, sententiam & rationes suas defendant. Mihi de mea nunc unice curæ est.

§. V.

Jam igitur eo sunt redacti adversarii, ut admittant, controversiam non esse de rebus, prout revera & actu existunt, sed de nostro concipiendi modo, & fere quatenus nos mortales essentiam divinam ad modulum nostræ rationis concipimus. Unde si vel maxime adversarii suam intentionem obtinuisent, non tamen adhuc evictum foret, rem utique sic se habere. Vertitur autem cardo causæ in distinctione inter essentiam & existentiam: juxta hanc voluntas divina moralitatem actionum humanarum antecedere conceditur; juxta illam non item. Huic sententiæ statuminaudæ *Strimesius* pag. 51. pronunciat, *essentias rerum sine existentia nil aliud esse, quam possibilitates seu aptitudines ad existendum, in ipsum existendi actum erupturas, simul ac Deus voluerit.* Enimvero valde dubito, an isthanc essentia descriptionem, proceres regni Metaphysici sint probaturi, quorum concilium prius cogendum fuerit, antequam istud dogma publice recipiendum sit. Sane si essentia rerum in sola illa possibilitate consistunt, & verò universitas creaturarum omnipotentiam divinam non exhaurit, adeoque Deus intel-  
ligi-

ligitur posse, quæ nunquam produxit, aut produ-  
cturus est, etiam non-entium dabitur essentia.  
Aut ostendat mihi, quantum à nihilo differat  
possibilitas, quæ nunquam in actum deducta fuit,  
aut deducenda est. Enimvero essentiis illis exi-  
stentiæ contradistinctis ortū dedit abstractio Phi-  
losophorum. Nam uti quod existit proprie & re-  
vera esse dicitur: ita & illa realis & vera est essen-  
tia, quæ cum existentia est conjuncta: & quod  
Deus esse jubet, id eo ipso existit. At Philosophi  
naturas rerum ortui & interitui obnoxiarum con-  
templantes ista duo, essentiam & existentiam, na-  
tura conjunctissima cogitatione cœperunt divel-  
lere; quod absurdum ducerent, veritates de in-  
dole rerum semel existentium hisce intereuntibus  
mutari, aut interire. Unde formati sunt genera-  
les conceptus & propositiones de rebus; quæ pro-  
positiones quia præscindebant ab existentia mu-  
tationi obnoxia, pronunciatum de illis est, eas  
esse æternæ veritatis, i. e. eas cum individuis re-  
rum mutationi obnoxiarum non stare aut cadere,  
v. gr. Quæ de natura rosæ traduntur, ea in hieme  
quoque vera esse, quando nullæ uspiam existunt  
rosæ. Hinc & factum, ut essentiæ rerum pronun-  
ciarentur æternæ. Id quod uti hoc sensu facile  
admittimus, quod nempe conceptus generales de  
rebus ab interitu individuorum non dependant:  
ita absurdum est, illam æternitatem antequam  
rerum originem velut retrorahere, ac fingere  
essentias rerum, à voluntate Creatoris, quæ exi-

F 3

stenti-

stentiam iisdem dedit, non dependere. Extra hanc explicationem pronuciatum illud de æternitate essentiarum non magis admitti potest, quam hoc; mundum esse æternum.

S. VI.

His præmissis adparet, *Strimefsum* arcem causæ suæ in eo ponere, ut possibilitates illas, quas essentias rerum vocare ipsi placet, statuatur objectum esse potentiæ divinæ ante actum voluntatis, & omnipotentiam Dei veram & adæquatam essentiarum omnium causam atque originem. Et has ante voluntatem Dei concipiendas esse; quia in ordinata attributorum divinorum conceptione & apprehensione omnipotentia Dei voluntatem ejus, ceu potentia actum necessario antevertit. Quoniam autem posita omnipotentia Dei, conceptaque, omnes simul possibilitates seu essentiæ ab omnipotentia omnino illatæ non possunt non poni & concipi; etiam id patere, eas ipsas essentias ante voluntatem Dei secundum nostrum concipiendi modum antecedaneas esse. Eoq; omnipotentiam divinam esse causam adæquatam, immediatam & proximam essentiarum, sicut voluntas divina causa adæqvata, proxima & immediata existentiarum perhibetur. Enimvero probe heic observandum, quæstionem propriè non esse confusam & indeterminatam, hoc modo: quodnam primum velut fundamentum sit, ut aliquid extra Deum esse queat. Ad hanc enim quæstionem ita confuse formatam ultimata est responsio: quia  
Deus

Deus est omnipotens, seu quia in Deo est potentia aliquid extra se producendi. Sed quæstio à nobis agitur distincta & determinata: unde sit, quod v. gr. homo talem habeat naturam, ut certa quædam ei necessario honesta, quædam turpia sint, quæ brutis talia non sunt. Ad hanc quæstionem ultimata responsio non est; quia Deus est omnipotens, sed quia Deus ita voluit. Sane aliter sese habent potentia determinata, finita & velut bruta, quibus positus effectus talis & non alius ponitur. Sicuti in quovis genere machinarum conspicitur, ubi vera & adæquata effectus causa ad potentiam refertur. Aliter se res habet in potentia indeterminata, libera, exercitiique sui moderamen penes se habente, abs quibus quod talis vel talis effectus producat, causa ad liberam determinationem ejus potentia refertur. Adeoque quando circa originem talium effectuum anquiritur, potentia quidem necessarium est præsuppositum ad producendum effectum, proxima tamen & adæquata causa est beneplacitum agentis. Et sane omnipotentia in Deo concipitur non tanquam facultas necessaria, sed tanquam libera, seu quæ non necessario sese exerit, sed prout Deo placet, alias Deus semper ageret omnia, quæ posset; cum Deus illa tantum faciat, quæ vult. Ut falsum plane sit; posita omnipotentia Dei poni omnia ejus objecta. Unde quilibet ex sensu communi judicare potest: si quæram, cur Deus hominem creaverit animal rationale, incongrue responderi, quia est omni-

F 4

potens.

potens. Nam statim excipere possem: si omnipotens est, cur non potius aliter, quam sic fecit? Sed si respondeas, quia Creatori sapientissimo & optimo ita placuit; nil habeo, quod excipere queam.

S. VII.

Inde ultro corruunt argumenta, quibus sententiam suam stabilire nititur *D. Strimesius*. *Quia*, inquit, *essentia rerum theoreticarum ex attributo voluntate Dei priore, nempe omnipotentia Dei derivantur. E. & essentia rerum practicarum. Ratio consequentia est, quia inter essentias theoreticas & practicas nullum discrimen intercedit. Nam uti posita omnipotentia divina, necessario ponitur idea & essentia hominis existuri, simul ac Deus voluerit: ita eadem posita ponitur necessario idea suum cuique tribuendi. Quæ omnia inania esse ex superioribus constat. Quibus addo, in artifice quidem v. gr. figulo, cui potentia sua acquiritur, ideam ollæ necessario videri præcedere voluntatem ollæ faciendæ, quæ exsurgere non potest, nisi posita potentia seu facultate agendi. Ast in Deo, qui est à seipso, & cui omnipotentia est essentialis, nullas definitas ideas rerum creandarum præsupponi necessum est, antequam ponatur voluntas quidquam extra se producendi. Unde & nulla est consequentia; negata possibilitate hominis ad existendum, negatur simul ejus omnipotentia; igitur & posita omnipotentia, statim idea distincta, aut essentia hominis ponitur.*

S. VIII.

Quæ porrò *Idem* p. 62, excipit adversus dicta

Et à me *Specim. Controv. c. V. §. 21.* quod in turpitudine actionum humanarum non sit ejusmodi contradictio, qualis est, si bis duo negentur esse quatuor, pariter inania sunt. Est quoque illa frivola argutatio p. 63. *Ad ideam boni ad humanam naturam restricti non opus est certa dispositione hominis, nec praecepto aliquo superioris, sed vel sola omnipotentia divina sufficit, vel hominis essentia ex omnipotentia emanans, quae supposita bonum morale secundum essentiam adeò necessarium est, ut negans id, neget idem esse idem.* At vel verba mea non intellexit *Strimesius*, vel data opera cavillari voluit. Nam ut res sit numerabilis, sufficit si qualiscunque sit. Musca æque ac elephas numerari potest. Sed ut alicujus entis actiones turpes sint, non sufficit quaecunque id esse, sed requiritur, ut certo modo à Deo sit formatum, Unde non in rem inanimem aut brutum, sed in hominem turpes actiones cadunt, quia hic certo modo à Creatore præ illo formatus. Interim non negamus esse in turpitudine certum genus contradictionis; quæ exposito hominis fine & natura resultat. Nam contradicurus sibi Deus fuerat, volendo creare hominem, i. e. animal rationale, & ad sublimiorem quam bruta finem, & tamen certum genus actionum ipsi non interdicere volendo. Neque cuilibet ideæ turpitudinis repugnat, sed ideæ hominis, quæ ab aliarum rerum ideis, in quas numerus cadit, utique differunt.



§. IX.

*Secundo argumento Scrimesi* jam nervus est præcisus, ut id repetere superfluum sit. Sed nec *Tertio* quid roboris inest. Admisi ego duplicis generis impositionem; unam ex solo lubitu imponentis citra peculiare fundamentum in re; alteram ab imponentis voluntate ita ortam, ut aliter imponere velle non potuerit, siquidem sibi constare debeat, *Quærit Scrimesi: Unde sit illa necessitas volendi, & quodnam istud fundamentum in re, ob quod imponens non potest non quædam velle?* Ast ego puto, sufficiens responsum contineri hisce verbis; *siquidem sibi ipse constare debeat.* Scilicet quia ad perfectionem sapientissimi & optimi entis pertinet, sibi conformiter agere, & non mutari in horas: Idè rectè voluntas antegressa sequentis velut regula dicitur; sic ut quia Deus voluit antecedens, non possit non velle, quod cum eo connectitur, & ex eo necessario sequitur & si finem vult, non possit quoque non media velle. Sic vult Deus sui cultum, sed non nisi volitâ prius creatura intelligente. Nam si Deus nihil creasset, aut non nisi bruta creasset, cultum etiam sui velle non potuisset. Cæterùm voluntati sapientia & bonitas non opponenda, sed conjungenda est; etsi effectus potissimum ad voluntatem refertur, tum quia hæc agendi principium, tum quia sapientia & bonitas sine voluntate, ac nisi liberæ non intelliguntur. *Quartum* denique *Scrimesi* argumentum est, *quia posito, omnia bona moralia ad hominem restricta à voluntate.*

luntate divina tanquam prima origine profluere, ratione originis inter legem naturalem, & legem Dei positivam nulla amplius reliqua erit differentia. Ast quid absurdi erit, si dicam, ratione originis tam naturalem, quam positivam legem ad Dei voluntatem referri: id tamen esse discriminis, quod positiva ab Dei voluntate absoluta proveniat; naturalis autem certam conditionem, humanæ naturæ adsignatam præsupponit?

§. X.

Ex eo autem nihil sane candoris relucet, quod p. 64. arguere videtur, me in *Specim Consero.* c. IV. §. 3. p. 60. non rectius, quam *Burmannum* sentire, cui errorem Sociniano simillimum tribuit. Ast ubi ego nego, necessitatem justitiæ Dei punitivæ ex ipsa Dei natura fluere? Quod si tamen *Strimesius* ex solo rationis lumine demonstraverit dogmata circa justitiam divinam, quæ substernuntur & implicantur articulis fidei de lapsu Adami, & subsecuta inde generis humani labe, de incarnatione Filii Dei, ejusque satisfactione, merito & passione, de justificatione hominis, & similibus, adeoque hæc omnia captum humanum non superare, nec abire à regulis justitiæ in foro humano usitatæ, lubentissime ipsi falces ingenii submittam. Interim tutissimum reor ista fide amplecti, quam rationem nequicquam fatigare.

§. XI.

Conatur hinc p. 71. *Strimesius* argumenta mea elidere palmaria illa distinctione inter essentiam, & existentiam, cui quid roboris inest, abunde

abunde à me ostensum fuit. Peculiariter autem circa exceptionem ad argumentum meum primum, mirum videtur, cuinam eandem opponat, aut quid ad præsentem quæstionem faciat, dixisse: *nihil prohibet, quo minus peccatum vocetur ἀσώτης: aut quo minus morales doctores altius quam rustici ascendant & originem moralitatis ab ea sententia derivent; ubi nullus Deus, ibi nullum bonum morale.* Nisi forte putat, qui bonum morale à voluntate Dei deducit, illum idem à Deo non deducere. Circa secundum meum argumentum id quoque mirum est (p. 72.) quare negare velit omnem obligationem esse à superiore, ac neminem sibi ipsi obligari, nisi destrictè dicta obligatione capiatur. Atqui sanè de propriè dicta obligatione mihi sermo fuit, & quidem de tali, quæ à principio extrinseco provenit. Circa exceptionem ad argumentum meum tertium verbo monendum, hautquaquam æquipollere; hoc rectè rationi, humanæ rationi, humanæ naturæ, & imagini divinæ congruit; & hoc per se & sua natura est honestum. Circa exceptionem denique ad quartum meum argumentum moneo, illam abs Deo necessitatem utique removendam, per quam voluntati ejus detrahitur, quod creaturæ tales factæ sint. §. XII.

Designat quoque p. 79. novum conceptuum ordinem *Strimesius*, ut ab origine suarum essentialium divinam voluntatem utique excludat qui citra adinadvertionem prætermitti non debet. Quando enim primo omnium loco concipitur Deus

Deus, consideratur tanquam à seipso existens, & cujus perfectiones omnes sunt essentielles, quarum in respectu ad ipsum DEUM una non est prior aut posterior altera, ( non loquimur de perfectionibus personalibus, de quibus ex sola religione Christiana constat. ) nec una velut ex altera emanat. Hoc modo etiam DEUS consideratur tanquam *αὐταρκής*, nulla re extra se indigens omnes beatitates ac perfectiones in se continens, & qui solus necessarius est. Quia autem præter DEUM nihil necessarium est, igitur quando ad res extra Deum concipiendas progredi volumus, primo omnium concipiendum est, Deum voluisse aliud extra se producere; voluntate Dei non posita ejus omnipotentia velut otiosa quiescere intelligitur: sed eadem posita Deus rebus naturam suam pro sapientia & bonitate sua assignat, actuque ipso attribuit. Ita credo *Dn. Strimesius* non prohibebit, quo minus voluntas Dei primum principium rerum extra Deum sit, ac in posterum quoque maneat.

§. XIII.

Tandem & socialitatem tantopere agitatam planè jam *exterminare* constituit, ( *p. 97.* ) ut vacuum commento suo locum faciat. Ubi id primo reprehendendum, quod pro socialitate à me posita *societatem* substituit, quam sive fraudem, sive incuriam in aliis jam notavi. Rationes hæc adfert, quia ex isthac socialitate non possunt deduci officia hominis erga Deum, seu religio naturalis; nec officia, quibus homo extra societatem

tem consideratus sibi ipsi obstringitur: neq; officia nostra in bruta tendentia, qvale est, ut ab omni crudelitate erga ea abstineamus. Ad primam objectionē, præter ea quæ alibi à me dicta sunt, repono: cū à me religio naturalis & jus naturæ pro distinctis disciplinis habeantur, non opus mihi fuisse principiū indagare ex quō officia erga Deū & homines simul deducerentur. Deinde non repugnat, præcepta de socialitate colenda, seu dilectione proximi esse partem religionis naturalis, præcipuè quatenus exercentur obsequio in communem Creatorem testando: & socialitatis humanæ præceptis firmitatem à religione accedere. Circa alteram objectionem scire velim, quænam officia homini solitario tribui possint, quæ nulum plane respectum, ad Deum aut alios homines habeant. Nam si forte objicias castitatem, sanè totus is apparatus naturæ humanæ, illique stimuli ob socialitatem sunt instituti: sic ut si ad solitariam vitam homo à D E O esset destinatus, non magis castitas in ipsum caderet, quam in arborem aut lapidem. In hoc tamen fateor à me gravissime peccatum fuisse, quod dum officia hominum inter se trado, ejusmodi principium non adsumserim, ex quo officia quoq; erga boves & asinos deduci queant. Quo nomine etiam Advocatum Generalem asinorum, qui Leonis Frideburgii vocabulum sibi imposuit, non mediocriter indignari video; oblitum, inter ea, quæ Sapiens in:

Hebræus asinis præstare jubet, esse quoque fustem & verbera. Poterat tamen minore in asinos pietate tangi *Strimesius*, si voluisset inspicere ab me tradita *l. IV. c. 3. §. 6.* de *I. N. & G.* Objicit præterea, deprehensum fuisse, quædam manifeste naturali legi repugnantia societati parum aut nihil obfuisse; uti turta, & adulteria in republ. Massagetarum & Lacedæmoniorum. Ast non sequitur, ob corruptos mores certæ reip. hoc vel illud vitium, hanc vel illam societatem peculiarem parum turbasse: ergo id vitium non repugnat socialitati generis humani in universum. *Adv. l. VII. c. 1. §. 3. de de I. N. & G.* Oportet quoque, valde superfundoriè *Strimesium* legisse scripta mea, dum pronunciat, omnia officia legis naturalis, quæ alios homines respiciunt. valorem, omnemque obligationem suam ultimo à cultu societatis fortiri. Nigrave est, inspiceat *l. II. c. 3. §. 20. de I. N. & G.* In hac porro propositione; officia adversus alios homines exhibenda in socialitatem resolvuntur, non magis tautologum quid est, quam in illo Poëtæ: ut ameris, amabilis esto. Denique theses illæ; innocentem ab æternis pœnis immunem asserere, peccatum haut impunitum dimittere, cum sint axiomata justitiæ divinæ, indagandus est quispiam *Strimesio*, qui ista ad socialitatem hominis referat. Qui autem confideraverit, quæ à me super differentia justitiæ divinæ & humanæ tradita sunt, agnoscat, absurde dici

dici, justitiam divinam & humanam quæ formam similem esse, non qua modum & gradum. Sane essentialis DEI, & imperata hominum justitia quoad formam eadem non sunt; cum ad formam justitiæ quam maxime pertineat, ex quo principio id, quod juste factum dicitur, sit profectum.

§. XIV

Deniq; quod post exterminatam si diis placeat socialitatem substituitur principium, *suum cuique tribuere*, non est pro tanto hiatus. Revera id certam duntaxat justitiæ speciem absolvit; ac non nisi per violentiam velut ad omnia officia extenditur, ac invita planè Minerva. Sic ridicula est illatio; furtum non est faciendum, homicidium non patrandum, quia suum cuique est tribuendum. Sed & difficultatem à me *Specim. Controv. c. V. §. 23*: motam haud quidquam dissolvi posse arbitror, si cum *Strimesio* dicamus; sola terminorum explicatione opus esse. (p. 120.) Expectaveram subtilius quid à *D. Strimesio*, quam ut commento stuporis Velthemiani adquiescere vellet. Nam adhuc quæstio restat; unde aliquid cuique *suum* sit: cum u. gr. bruto adversus hominem nihil suum sit; & Hobbesius neget, civi adversus civitatem aliquid suum esse. Unde ad istud axioma stabilendum plus, quam nuda terminorum explicatio requiritur. Sed mihi mea vindicasse suffecerit, quo minus quisque suis deliciis gaudeat ego nec invideo, nec curo.

Tantum.

APPEN-

APPENDIX

*Contra*

**Cl. DN. JOH. JOACHIMUM**

**ZENTGRAVIUM,**

*Profefs. Publ. Argentoratensem,*

Exhibens

**ORIGINUM** mearum **MORALIUM**

*Paragraphos Tres, putà VI. VII. VIII.*

DISSERTATIONIS

*De,*

**PRIMA MORALITA-  
TIS CAUSA,**

*Olim quidem*

*à*

**COROLLARIO APOLOGETICO**

dicti **AUTORIS,**

*nunc etiam*

*ab*

**APPENDICE Ejusdem**


*assertos.*



THE  
MUSEUM OF  
ART AND HISTORY

OF THE  
CITY OF  
NEW YORK

AND  
THE  
METROPOLITAN MUSEUM OF ART



J. I.

**R**Ecè satis & æquè rem expendit *Vir Clarissimus, Dominus Job. Joach. Zougravius, Prof. Argentor.* quando sub finem *Præf. Originum J. N. contra Spiciteg. Controversiarum Celeberrim. Pufendorffii Vindicatarum*, me pro ea, quæ inter Philosophos datur Libertate, Sententiam suam de Valore Morali examinasse innuit; quanquam hic nondum omnia dixisse videri possit, quin, quæ ejus est humanitas, mihi facillè veniam det, si quod in pectore occultum habuit, et si obscurius idem simul elocutus sit, adjiciam atque distinctius exponam, me nempe non minùs pro amore Veritatis vel defendendæ, vel saltem investigandæ, omni ingenuo & literarum verè amanti proprio, quàm pro libertate Philosophica Sententiæ suæ examen aggressum esse. Enimverò eam demum veram in inquirendis aliorum sententiis Libertatem Philosophicam arbitror, quæ cum Amore Veri conjuncta est, & hujus assertionem sibi scopum unicè præfixum habet, in licentiam, a philosophicam illico degeneraturam, simul ac à Veri cupidine vel latum unguem recesserit. Hæc itaque fateor Libertas Philosophica, mihi, Naturam Moralitatis in *Originibus Moralibus* olim exponenti, sequentes Paragraphos facillè subministravit.

G 2

S. 6.

§. 6. **N**obis eorū iudicium perplacet, qui  
 Moralitatē per *Imputativitatem* vel  
 rectiūs per *IMPUTABILITATEM* interpretātur,  
 quā Agenti alicui Actus aliquis ejusq; Effecto  
 vel ad laudem & præmium, vel ad vitupe-  
 rium & pœnam adscribi potest. Cui Sen-  
 tentiæ præter Scholasticos nonnullos etiam  
 ex Neotericis calculum adjicit famigeratissi-  
 mus *Dn. Pufendorf. de Jur. N. & Gent. ib. 1.*  
*c. 5. §. 3. & in Element. Jurispr. lib. 1. Defin.*  
*1. §. 4.* Et hanc omnibus retrò allatis præ-  
 ferendam docet *Bonaventura, c. 1. num. 6.*  
*Dici potest, inquit, Moralitatem Actus esse Im-*  
*putabilitatem ejus. Vel aliter: consistere*  
*eam in eo, quod est variare conditionem Agen-*  
*tis. Paucis interfertis addit: Ita quidam cir-*  
*cumscribunt utcunq; Actionem Moralem, &*  
*convertuntur cum ipsa, suntq; preferenda,*  
*modis respondendi aliorum. Rationem au-*  
*tem subnexurus pergit: Causa utriusq; est,*  
*quia hic quærenda & assignanda est ratio ali-*  
*qua communis Bono & Malo, quæ sunt quasi*  
*duæ medietates Moralitatis, adquatè ipsam*  
*dividentes. Sed quodlibet ex his est rule, quia*  
*tam*

tàm bonus, quàm malus, est Imputabilis, & va-  
riat conditionem Agentis, putà vel Extrinse-  
cè, vel saltem Intrinsecè; Item si non Actu  
Secundò & de Facto, certè Actu Primò, &  
de Jure.

§. 7. Equidem est, quod in Imputabilita-  
te adhuc desideret sæpius memoratus *Scoti*  
*Interpres Baro*, nempe Rationem à priori da-  
ri posse, cur Actus sit Imputabilis, & cur variet  
conditionem Agentis, quia scil. est bonus,  
aut contrà, quia est malus: Bonitas enim &  
Malitia sunt, quæ imputantur, & quæ vari-  
ant conditionem Agentis, adferendò ei præ-  
mium & pœnam. Neque Actus ideò est bo-  
nus, quia Imputabilis, sed ideò Imputabilis,  
quia bonus. Namin instanti, quò est Impu-  
tabilis, debet esse Causa Imputabilitatis; At  
verò hac non potest esse aliquid Physicum, re-  
stat ergo, sit aliquid Morale, adeoq; Moralitas  
debet esse quid prius imputabilitate. Unde,  
ipse Moralitatè duobus conceptibus au-  
guratur comprehendendam, Bonitate scil.  
& Malitià, qui conceptus Substantiam rei ex-  
primunt, licet in modo peccent, neq; Canonum  
Logicorum satis observantes sint, inculcan-

*sium, Genus non per Differentias Contrabentes sed per Differentias Constituentes explicandum, num. 7. Idem omnino Pufendorffo, Imputabilitatem (uti diximus) nobiscum defendenti, novissimè oppositum reperio à Viro Clariss. Job. Joach. Zensgravio, Professore Argentoratensi, qui, ut cum Canonibus quoque Logicis in gratiam rediret, neque Conceptus, Imputabilitate prior, (quò Moralitatis Formale complecti annitur) in modo peccaret, duos Conceptus Moralitatem dividentes, Bonitatem nempe & Malitiam, ad unum VALOREM revocat, quem rationem proximam auguratur, cur Actus aliquis Moralitatis, i. e. vel bonus audiat, vel malus censeatur. *Omni enim illi, inquit, quod Morale dicitur, videmus ejusmodi Valorem inesse, quò valet, & valere aestimari potest, ad certum effectum, qui vel precipi, vel prohiberi, vel laude, vel vituperio dignus censeri potest. De Orign. Jur. Natural. Art. 8. §. 12. & 13.**

§. 8. Verùm, ut & hinc quantà possum brevitate me expediam, neque ad vivum omnia rescem, illud unicè rehero: **Bonitatem & Mali-**

Malitiam *Baronis*, Valorem item *Dn. Zentgravi* dicere quidem Moralitatem, sed non eam, à qua Agens Moralis denominatur, i. e. quæ agentem præmiò & pœnà dignum efficit: Nam Actio in se & bona potest esse, & mala, indeque dictò modò validà, propter quam tamen Agens nec præmium nec pœnam meretur, e. g. Actio tam bona, quam mala, cujus Ignorantia, eaque minùs Culpa-bilis, causa existit; Sed eam potissimùm, quæ Rei seu Objectio inest, idem innuente ipsò *Zentgraviò*, quando: *Antecedenter*, ait, *ad Actum Intellectus valor ille, qui esse Morale constituit, Rei inest: Nemine enim cogitante, Deus, Parentes, talia sunt Objecta, circa quæ bene operari & peccare possumus, loc cit. §. 9. p. m. 238. Collat. cum §. 14. 17. & seqq.* Valor autem quem agenti inesse ostendit prædictus Autor §. 15., gradus quidem Moralitatis, de qua h. l. non solliciti sumus, vel auget, vel minuit; ipsum tamen Formale Moralitatis non exprimit, quod proinde in IMPUITABILITATE, cum rectè, tum perspicuè collocatur, rationem quidem à priori agnoscente, verùm non Intrinsecam & Moralitatem.

tatem Constituentem, sed Extrinsecam & Moralitatem Efficientem, quam in *titulo Dissertationis*, Causam salutavimus, nunc amplius inqvirendam.

S. II.

**H**is ipsis Paragraphis, eadem mecum Libertate Philosophicâ gavifurus *Dn. Zentgravius, Corollarium Apologeticum*, quod novissimè unâ cum *Corollario meo Antapologetico* recudi curavit, duxit opponendum, eâ interim humanitate conscriptum, qualis Philosophum maximè Christianum fideique Christianæ Consanguineum, nec Sectæ alicui, quâ talis est, supra modum addictum, decebat. A simili Libertate etiam *Appendicem Dn. Zentgravi, Apologia sua Vindicem*, supereminè profectam auguror, quam pace illius, totidem, quot ista constat Paragraphis, denuò ad Examen modestum revocare integrum esto.

S. III.

**O**riginem Controversiæ, me inter & dictum Autorem intercedentis, Formale Moralitatis Subjectivæ dedit, quatenus hæc Objectivæ contradistinguitur, i. e. ( ut clarissimis, quantum fieri potest, verbis rem edisseram ) disqvisitio de eo, quod Agentem in Esse Agentis Moralis, præmio vel pœnâ, laude vel vituperio digni, constituit, non attentâ insimul Moralitate Objecti, h. e. Bonitate & Malitiâ, Actioni per se insitis. Hic illustratis multorum Scholasticorum sententiis,

IM-

IMPUTABILITATEM, à *Dn. Pufendorfo* novissimè hòc nomine defensam, laudatamque ejus de quo quærebatur vices commodissimè subire arbitratus sum, uti videre est in paragraphis superioribus. Enimverò, utut maximè Objectum Morale, seu Actio vel Bona vel Mala sit, quæ ab Agente proficiscitur, hunc tamen nec bonum nec malum, i.e. nec laude nec vituperio, nec præmio nec pœnâ dignum fore, indeque Moralem Agentem evadere talemque denominari posse, nisi ob solam Imputabilitatem sibi inhærentem, & à Proximi, omnis Imputabilitatis sicque Moralitatis Subjectivæ fonte perenni atque unico, necessariò promanantem, intelligebam. Sententiam hanc *Pufendorpianam*, Veritati tam exactè tamque perspicuè consonam, ab Exceptionibus cum *Baronis Bonaventura*, Bonitatem & Malitiam, tum *Dn. Zentgravii*, VALOREM, à Bonitate & Malitia ceu communem conceptum abstractum, hîc jactitantium, vindicandam suscipi, idque tantò libentiùs, quantò unâ fideiâ duos parietes dealbare expeditius futurum augurabar. Utriusque enim Autoris Sententiam confusione Moralitatis Subjectivæ cum Objectiva laborare perspectum erat; quo de cumprimis *Dn. Zentgravius* humanissimè monendus erat, utpote *Pufendorsum*, mecum sentientem, eo nomine ex professo refellens, *de Orig. I. N. p. 212.* Ad hoc, respondet in *Coroll. Apolog.* se non de Formali Moralitatis Subjectivæ in specie quæsi-visse, quando illud in Valore situm esse asseruit,



sed de formali ratione tū Esse Moralis præcisè & genericè spectati, prout tam à Subjectiva sive Agentis, quàm Objectiva sive Actionis abstractit. Regesli in *Coroll. Antapol.* (a) quæsiuisse eum de istius Moralitatis Formali, de qua Pufendorfius quæsiiverat, alioquin hunc non potuisse ab eo salvis disputationis Legibus oppugnari. (b) Non potuisse eum de alio, i.e. de Formali Moralitatis, ab utraqve abstractæ, quærere, cum talis Abstractio, Synonymica putà & Generica, non tantum inaudita, sed etiam impossibilis existat.

Quid hic refugii *Doct. Viro* adhuc superfit, nunc amplius dispiciendum. Quod ad I. attinet, initio monet, me contra se *disputaturum, ex sua potius disquisitione, quàm ex Pufendorffio Statum Controversia formare debuisse, & Institutum potius suum respicere, quàm id, quod ex occasione factum est. Ita enim bonas Oppositionis Leges jubere. Se autem quæsiuisse de Formali non Moralitatis Subjectiva, uti Pufendorffius, sed in tanta latitudine accepta, prout tam in Objectivam quam Subjectivam cadit, & prout secum alii disquirunt. Tum verò sese excusare laborat, quò Dni Pufendorffii sententiam, licèt de Moralitate prescius philosophetur, & Subjectivam tantum excutiat, eò nomine nihilominus rectè semotum iverit; quod unà fideià duos se penumerò parietes de albari non repugnet. Append. pag. 124. & 125.*

At verò, *Clariss. Zentgravi*, Paragraphos ex *Originibus meis* retrò allegatos, attentius paulò pon-

ponderare debuisses, sic in proclivi fuisset dijudicare, Institutum meum Principale esse, factam tamen servare sententiam, quæ Moralitatis Subjectivæ Formale (de quo unicè sollicitus eram) cum *Pufendorffio* in Imputabilitate reponit, & hanc eatenus defendere, non autem contra *Zentg. Disquisitionem de Orig. J. N.* disputare. At id Institutum persecuturo, nequaquam statum quempiam Controversiæ ex Disquisitione *Zentgraviana* formare, sed partim Argumenta, sententiam veram & *Pufendorffianam* confirmantia, in medium adducere, partim eandem ab Exceptionibus *Zentgravii* aliorumque vindicare incumberebat. Ita bonæ Methodi Leges jubent. Quod verò *Vir Clarissimus* de Formali Moralitatis, à Subjectiva & Objectiva abstractæ (uti nunc urget) disquirens, Sententiam *Dni Pufendorffii* de sola Moralitate Subjectiva agentem, eamque in Imputabilitate collocantem, eò tamen nomine semotum it, quòd Formale Moralitatis, ab utraqve Subject: & Obj: abstractæ, in Imputabilitate haud consistere arbitretur, id verò omnes bonæ Oppositionis Leges detestantur, de cepis scripturienti inculcantes, ne eo nomine alii Defensores oppugnet. Nec excusat dicere; *una fidei à duos sapenumero parietes de albari*: Etenim id de similibus & subordinatis valet, non autem de dissimilibus & disparatis. Defensurus Animalis in genere Formale in 7<sup>o</sup> sensitivum esse collocatum, ridiculè oppugnaret asserentem, Hominis Formale in Rationalitate situm esse.

Quod

Quod ad 2. attinet, Nec inauditam, nec impossibilem Abstractionem Moralitatis genericam à Subjectiva & Objectiva contendit esse. *Non inauditam*, quod *Vasquezius & Philippus à Trinitate* Moralitatem ita abstraxerint. *Non impossibilem*: quia ipse impossibilitatem hujus Abstractionis nondum perspicere possit, præsertim si Moralitas, à Subjectiva & Objectiva abstracta, nõ per modum Generis, (uti ego mentem ejus perverto) sed tantum per modum Conceptus communioris Synonymici harum respectu sese habere dicatur. *Peruelim*, inquit, omninò scire, qui non ab illis, (Objectiva & Subjectiva Moralitate) Conceptus Communis synonymicus abstrahi queat, à quo vicissim & illa abstrahuntur, sicut superius & communius ab inferioribus & Contrariis, vicissimq; inferiora & contraria ab illo prascindunt. *Append. p. 126.* Verum, nisi aliunde *Viri Optimi* Modestiam atq; ingenuitatem perspectam haberem, hinc mihi duram necessitatem impositam cernerem, vel ter ingemendi, *ubi Frons?* Enimverò (1) *Vasquetius*, & *Philippus* (dummodo hic, quia ad manus non fuit, istum sequatur) ne verbulo Moralitatis, à Subjectiva & Objectiva quomodocunque, nedum per modum Communioris & Synonymici Conceptus abstractæ, mentionem injiciunt. Legat & relegat *Num. 46. Cap. X. Disput. 95. Tom. 1. in Thomam Vasquetii*, cui id volupe, nec volam nec vestigium ullum Moralitatis, ab Objectiva & Subjectiva per modum Communioris & Synonymici

mici Conceptus abstractæ, repererit. Hujus probè gnarus Zentgravius: *Quamquam*, ait. *si vel maxime Moralitas in ista latitudine, qua inter nos in disceptationem cadit, illos fugeret, vel apud eos non recepta foret, id à me parum curaretur, cui magis amica & cura Veritas. sub init. pag. ant. cit.* At interim, non parum à Dno Zentgravio, cui amica & curæ veritas est, curandum erat, in testimonium sententiæ suæ vocare, qui de ea magis muti sunt, quàm pisces. (2) Quis putaverit, aliquid propterea impossibile esse non posse, quod Dnus Zentgravius impossibilitatem non perspiciat, aut per hoc impossibile in possibile versum iri? (3) Quis item rationis & humanitatis studiosus Strimesium Dni Zentgravii sententiam eò pervertere dixerit: quod iste ex hujus Verbis sequentibus: *Quæritur, quam sit Ratio Formalis 7<sup>a</sup> Esse Moralitatis, Præcisè & Genericè spectati, & prout à Moralitate tam Subjectiva sive Agentis, quam Objectiva abstrahit, Coroll. Apol. p. 108. in Med.*, colligit, ipsum existimare, Moralitatem, Subjectivæ & Objectivæ communem, ceu Genus ab Inferioribus suis abstrahere? Præsertim cum hoc loco perinde sit, & ad rem præsentem æquè faciat, sive Moralitas ceu genus, sive tantum Genericè, & ceu Conceptus Communis Synonymicus à Subjectiva & Objectiva abstrahere dicatur, nec minùs impossibilis maneat abstractio Moralitatis à Subjectiva & Objectiva ceu Conceptus Communis Synonymicus, quàm ceu Genus, dummodò Moralitates, à quibus Abstrahitio

atio intenditur, prorsus heterogeneæ sint, uni eisdemque Conceptui Communi Synonymico haud subjicibiles, indeque non per Synonymicum sed per solum æquivocum abstrahibiles. Id quod hinc unice ostendendum, ut tantò facilius perspicui imposterum à Dno Zentgradio possit.

Eam in Rem primò omnium ex *Aristotele de Categ. Libri*, repetendæ Synonymorum & Homonymorum Definitiones, ita formata: *Συνώνυμα λέγουται, ὡς ἴππ ὄνομα κοινόν, ὃ κ' ἔστι τέθουμα λόγῳ, τῆς ἕσας ὁ αὐτός; Οὐώνυμα δὲ λέγουται ὡς ὄνομα μόνον κοινόν, ὃ δὲ κ' ἔστι τέθουμα λόγῳ τῆς ἕσας ἕπερ.* In quibus Definitionibus observandum: (1) Homonyma atque Synonyma quidem æquè commune nomen habere: Interim (2.) Synonyma eundem quoque, secundum sibi commune Nomen, Conceptum Essentialem participare; Homonyma minus. Ut hinc Terminus Univocus sit, qui pluribus tribuitur in eadem; Æquivocus verò, qui pluribus tribuitur in diversa significatione. Quæ cuncta dilucidius expositurus *Philippus du Trieu*: Quærit (α) unde cognosci potest aliquem Terminum pluribus tribui in eadem significatione? & *Resp.* Si ei semper in mente respondeat idem Conceptus. (β) Unde verò cognoscitur, eundem semper Conceptum termino respondere? *Resp.* Si eadem explicatio semper illi possit accommodari. (γ) Unde potest cognosci aliquem Terminum tribui pluribus in diversa significatione? *Resp.* ex signis contrariis, videl. si ei

respondeat in mente varius conceptus, i. e. si ejus significata variò modo concipiuntur, quod fit, quando diversæ Explicationes uni termino debent adhiberi. *Manuduct. ad Logic. Tract. I. Part. I. C. 1. Artic. 9.*

Hæc Naturæ Synōnorum & Homonymorum expositio perspicua nunc porrò cuivis attendenti aperit, quæ ratione à Synonymis quidem Conceptus Synonymicus seu Essentialis, Communis nempe, non item ab Æquivocis abstrahi possit: Nam quia Synonyma λόγῳ τῆς ἐσσίας, i. e. Conceptum Essentiæ, juxta nomen sibi commune, eundem participant, utique nîl prohibet, quominus Intellectus, distinctè concipere gestiens, eundem à Synonymis præscindat, seu Abstractione præcisivâ abstrahat, eumque ab inferioribus sic abstractum per se solum contempletur; E contrario, quia Homonyma τῶν λόγων τῆς ἐσσίας, i. e. Conceptum Essentiæ, juxta nomen sibi commune, eundem non participant, arcetur Intellectus, modo cognoscendi suò modum Essendi æmulatus, ab Abstractione præcisivâ, non hîc uni distinctè concipiendo, sed pluribus inter se confundendis inserviturâ.

Cuncta sic in Thesi proposita, nec ab ipso *Clarissimo Professore*, cum quo nunc agimus, in dubium vocata, Hypothesi nostræ, in qua se paulò difficilorem ipse præbet, accommodabimus. *Quæritur*: Anne Moralitas Synonymicè à Subjectiva & Objectiva abstrahi possit? *Quæstionem* affirmat  
Apo-

Apologista, quia Impossibilitatem Abstractionis perspicere non potest. Ego eandem nego, Impossibilitatem Abstractionis, ipsi haud perspectam, ita ostendens: Moralitas Subjectiva & Objectiva sunt Homonyma: *Probo*: Quia etsi Moralitatis Nomen commune habent, non tamen *λόγος τῆς οὐσίας*, i. e. Conceptum Essentiae, secundum istud nomen Commune, eundem participant; id quod cognoscitur ex signis Termini æquivoci, Moralitatis, videlicet, quia ei respondet in mente varius conceptus, i. e. ejus significata vario modo concipiuntur, & diversæ explicationes uni eidemque Termino adhiberi debent: Nam Moralitas Objecto tributa adeoque Objectiva, est Conformitas Rei & Actionis partim cum Natura, partim cum Voluntate divina, vel difformitas cum iisdem; At Moralitas Subjecto tributa, adeoque Subjectiva, est Affectio seu Virtus agenti insita & Naturalis, ob quam Actio Moralis, i. e. Naturæ & Voluntati Divinæ sive conformis, sive difformis, ei vel in laudem & præmium, vel in vituperium & pœnam cedit. Cum ergo Moralitas Objectiva & Subjectiva hoc pacto æquivoca sint, Synonymicus Conceptus communis, juxta Nomen Moralitatis Commune, ab iis abstrahi non potest, & Intellectus Abstractionem intendens, non hanc & distinctum Conceptum præscindentem, sed Cōfusionem, omnium malorum in Intellectu lernam, progigneret. Atque sic nunc omnino istud perspicit *Deus Zenogonius*, quod *omnia scire pervalebat*, quia & ex eodem

facile porro intelligit, perperam à se dici: *Non etiam magis heterogenea sunt determinata & modificata hæ Moralitates, Objectiva scil. & Subjectiva respectu Moralitatis Absolutè & Universaliter spectata, atq; Substantia & Accidens Naturam habent heterogeneam respectu Entis? vel Modi adessentia ad ipsum esse Alicubi.* Etenim Substantia & Accidens Entis Conceptum, secundum Entis nomen Commune; Modi item Adessentia, Alicubitatatis Conceptum, secundum nomen hoc commune, eundem participant, qui idcirco ab iis, ceu Synonymis Synonymicè abstrahi potest; At Moralitas Subjectiva & Objectiva secus, uti modò ostensum. Unde hæ non minùs heterogenæ sunt atque Homo in Gallia natus & Gallus gallinaceus, vel Modus ridendi homini competens, & modus ridendi pratis adscriptus, à quibus Abstractio omninò impossibilis, sive ista Impossibilitas ab aliquo perspiciatur, sive minùs.

§. IV.

CÆterùm, suppositò nunc (a) Abstractiōnem Moralitatis ceu Synonymici Conceptus à Moralitate Subjectiva & Objectiva tum inauditā, tum omninò impossibilem esse, ut de ea nec *Baro* quærat, nec *Zentyravius* commodè quærere possit. Supposito (b): *Dnum Pufendorfum* de sola Moralitate Subjectiva ejusq; Formali inquisivisse, eamque in Imputabilitate mecum reposuisse, quam Sententiam *Baro* olim impugnavit, Imputabilitate Conceptum priorem Bonitatem & Moralitiam

H

litiam



litiam perhibendo; quamque solam hoc loco vel semotum ivisse, vel omninò extra oleas vagari *Dominus Zentgravius* dici debet, dum Imputabilitate Valorem priorem constituit, Bonitatem & Malitiam sub se comprehendentem; In conspicuo est id (quod tamen minoris momenti æstimandū) nempe *Baronem & Zentgraviium* in oppugnandā Imputativitate, Moralitatis Subjectivæ Ratione Formali, tantū non per omnia consentire. Sicuti enim *Baro* Imputabilitatem Moralitatis Subjectivæ Formale negat esse, quia Bonitas & Malitia juxta ipsum Imputabilitate quā cōceptum priores sunt; Ita *Dnus Zentgravius* idem cum eodem negat, quia *Valorē*, ad quem Bonitatem & Malitiam, sub eo comprehensas, revocavit, eādē Imputabilitate (non Moralitate, ut calami lapsus habet) priorem existimat. Ut nunc meum non sit cogitare, annon Fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter commiserim, quando tantū non per omnia *Dnum Zentgraviium* cum *Barone* consentire scripsi; sit verò, cur tale quid semetipsum committere *Dnus Zentgravius* certò statutum habeat, dum (quod præ se ferunt Verba ejus) ex illo, quod tantū non per omnia *Baroni* consentientem *Zentgraviium* scripsi, colligit, me illi cum *Barone* consensum per omnia transcriptum ivisse.

§ V.

**A** St ægrè fert *Dnus Antagonista*, quòd dixi, ipsum Bonitatem & Malitiam *Baronis* ad Valorem revocasse, eò, quòd his Verbis videri possim  
vel

vel negare, cum Bonitatem & Malitiam ad Valorem  
 seu Genericum Conceptum revocasse; vel dicere, eam  
 hac duo tantum uno nomine expressum ivisse. Talia  
 enim non quidem necessario vi verborum meorum  
 sequi fatetur ipsemet, interea sub illis occultari pos-  
 se, contendit *Append. p. 128.* Unde etiam (quia  
 videlicet dicta non necessario vi verborum meo-  
 rum sequuntur, sed sub iisdem tantum occultari  
 possunt) se in *Corollario Apolog.* non simpliciter,  
 ait, locutum: *me falli*, dixisse, QUANDO existimo;  
 non autem dixisse, QUOD sic existimem. Verum,  
 (pace *Viri humanissimi* id dicam), fallitur admo-  
 dum, si putat, sic se vel a malo ratiocinio & illa-  
 tione (quasi verò qui affirmat *Dn. Zentgravium*  
 Malitiam & Bonitatem ad unum Valorem revo-  
 casse, hoc ipso aut neget ad genericum revocasse,  
 aut uno solummodo nomine expressum ivisse as-  
 serat) vel a temeraria erroris imputatione seu  
 transcriptione excusari. Prius per se manifestum  
 est; Posterius expressissima ejus Verba loquuntur,  
 quæ in *Coroll. Apolog.* ita habent: *Fallitur autem,*  
 inquit, *Vir Clarissimus, quando existimat, me duos*  
*Conceptus Moralitatem dividentes Bonitatem &*  
*Malitiam ad Vnum Valorem revocasse, pag. 109. ab*  
*initio; Ubi id quando pro id quod, positum es-*  
*se, nemo potest ambigere. Silentio prætervehor,*  
*me actu istud ipsum existimare, ob quod, si ita exi-*  
*stimem, me falli scribit Zentgravius.*

Usque aded, ut, positò etiam eò, (quod à me  
 non negatur, quando *Dnum Zentgravium* Bonita-

tem & Malitiam ad unum Valorem revocâsse dico,) Valorem scilicet à Bonitate & Malitia ceu Genus abstrahere, huncque ita abstractum Imputabilitate priorem esse, indeque Moralitatis Formalem Rationem præ Imputabilitate *Pufendorfi-  
nâ* constituere; adhuc tamen reliquum maneat, Virum Clarissimum tantum non per omnia cum *Barone* consentire, & hæctenus cum eodem idem *Dno Pufendorfo* opposuisse.

§. VI.

SED totum hoc videri poterat, nil nisi litem de Verbis continere: Anne scilicet  $\eta^o$  abstrahere à duobus conceptibus modificatis & specialioribus, (quod se fecisse innuit A. quando Valorem Imputativitate priorem, indeque Moralitatis, à Subjectiva & Objectiva abstractæ. formalem Rationem absolvere docuit) idem sit cum  $\eta^o$  revocare duos conceptus inferiores ad unum latiore; Hinc ad rem ipsam postliminio propius paulò erat rever- tendum, atque disquirendum, (in quo Disputa- tionis cardo vertitur): Anne Valor, ab Objectiva & Subjectiva Moralitate abstractus, Imputativitate *Pufendorfi-  
nâ* prior sit, sicque dignus, qui istius Moralitatis formalem Rationem absolvat, cujus inspecie nempe Subjectivæ formalem Rationem Imputativitatem esse *Pufendorfius* docuerat. Id quod nos negandum putavimus ob sequentes Ra- tionem: (1) Quia ipse Autor fatetur, Valorem, qui Esse Morale constituit, seu Moralitatis formalem Rationem absolvit, Antecedenter ad Actum Intel- lectus

lectus Rei inesse: Jam autem qui Valor Rei inest antecedenter ad Actum Intellectus, non potest ejus Moralitatis formale esse, ob quam Persona vel laude vel vituperio digna, sicque moraliter agens perhibetur, cum sic duz species coordinatz inter se confunderentur. (2.) Quia Abstractionem à Moralitate Subjectiva & Objectiva ceu Inferioribus impossibilem arbitrati fuimus; idque opere ipso supra demonstravimus, quod æquivocata nil præter nomen commune habeant, & per id à Syuonymis distingvantur, præter nomen commune etiam eandem formam secundum Nomen illud participantibus. (3.) Quod Valor utcunque abstractus, re tamen quapiam Agentem dignum efficiat, putà indeterminatè, i. e. vel laude, vel vituperio, alioquin ne quidem à malitia & bonitate abstractus sit, quarum ista vituperio & poenà; hæc laude & præmio agentem determinatè, ceu Species, dignum efficiunt. Postremum, cum A. admittere in præsens §. 5. totidem verbis cogatur, nescio utique, anne satis ingenuè, vel se ipso Judice, mecum egisse dici queat, qui Responsione τὸ εἰς αὐτὸν ostendere laborat, Valorem à bonitate & malitia abstractum, eo ipso, quia abstractus est, Agentem nec laude nec Vituperio determinatè dignum efficere; dùm hujus contrarium asserere mihi certè in mentem venire non potuit, qui Valorem Abstractū Re solummodò quâpiam, i. e. vel laude vel vituperio indeterminatè, non autem vel laude, vel vituperio determinatè acceptis, agentem dignum

H 3

efficere,

efficere, disertis Verbis perhibueram, idque exemplo insuper confirmaveram ab animali desumpto, quod vi suâ sensitivum, sicqve indeterminatè, vel Hominem vel Brutum infert, donec vel ad Rationalitatem vel ad Irrationalitatem contractum, determinatè vel Hominem vel Brutum constituat. Tribus his partim ex propria Autoris confessione, partim ex factâ à me demonstratione, certis & extra omne dubium positis, manet id, quod evincendum erat, nempe Valorem, ab Objectiva & Subjectiva Moralitate æquivocè abstractum, Imputativitate *Pufendorfanâ* priorem non esse, neq; ad id idoneum, ut istius Moralitatis formalem Rationem absolvat, cujus formalem Rationē Imputativitatem *Pufendorfius* docuerat esse. Manet & istud, à *Zenigravio*, Valorem, à bonitate & malitia abstractum, loco Imputabilitatis idèd substituente, quod Valor ante Actum Intellectûs Rei ipsi inest, indeqve Imputativitate prior existit, materialiter idem cum *Barone Bonaventura Pufendorfo* oppositum esse, quippe qui *Baro* Bonitatem & Malitiam in locum Imputabilitatis eò surrogatas cupit, quod Imputabilitate priores sunt, cum aliquid alicui eam ob causam imputetur, quod istud vel bonum vel malum sit; Licèt fatendum interea veniat, (quod & nullibi inficias ivimus) *Dni Zenigravii & Baronis Theses, Pufendorfo* oppositas, formaliter inter se differre.

§. VII.

**A** Dhuc unicum obstabat, quod Veritati hactenus

nus defenſæ, tenebras offunderè poterat: Nempe, à me admiſſum; Valorem Subjectivæ quoque Moralitati inefſe, non Objectivæ tantum, quò admiſſo, facile evinci poſſe, Valorem Moralitatis Formalem Rationem abſolvere. Itaque ut has quoque tenebras diſcùterem, in *Corollariò Antipologetico* annotaveram; me quidem  $\text{I}^o$  inefſe admiſſiſſe, ſed nec  $\text{I}^o$  inefſe per modum generis, nec  $\text{I}^o$  inefſe per modum formalis rationis, ſed  $\text{I}^o$  inefſe per modum ejus duntaxat, quod gradus auget vel minuit; indeque mirationem animum ſubiſſe, quòſunt *Clar. Zentgravi* reſponſiones ſpectent, Indirecta Altera: *Calor eſt Forma Calidi, hunc tamen vel remiſſum vel intenſum gradus calidi augere vel imminuere non abſurdum.* Altera Directa: *Nego ipſum Valorem augere vel minuere gradus Moralitatis, cum ſit ipſa Moralitas formaliter.* Quippe prior (a) rem non attingit, dum ipſi nunquam à me cõceſſum eſt, Valorem formam moralitatis abſolvere, ut Calorem Calidi formam appellamus. (b) Tautologicas prorsusque identicas enititur propoſitiones: Nempe Calidum intenſum augere gradus caloriſ. Poſterior verò (a) à Janua exceptionis aberrat. (b) Falſo ratiociniò conflictatur, quaſi Res ipſa formaliter non poſſit inſuper gradus augere vel minuere, cum primis ſi ex Gradibus tota conſtet; Uti Qualitas admittit magis & minus, formaliter tamen manet Qualitas. (c) Propria *Dni Zentgravi* vineta cædit; cum Valor per ſe licet intenſus vel remiſſus, Gradus Moralitatis interim

non augens vel minuens, Moralitatem ex gradibus constantem, formaliter & totam constituere nequeat.

Ad hæc singula nunc quædam reponit *Vir Doctissimus*. Ad Primam Exceptionem, Responsioni ejus Indirectæ oppositam, dicit: *Responsionem, ab Instantia petitam, rem satis attingere eo, quòd ostendat me ex subordinatis facere Opposita, dum ex eo quòd Valor auget vel minuit gradus, annifus fuerim inferre, cum Moralitatis Formale non exprimere.* Ad secundam verò: *Veritatem propositionis in Identitate Prædicati cum Subjecto non realitantum, sed etiam nonnunquam Rationis fundari, uti Logicorum docent Regula.* Respondeo: *Primum nequam ostendit, me ex Subordinatis Opposita facere, sed omnium luculentissimè exponit, Clariss. Zentgravium vel à genere ad speciem affirmativè colligere, i. e. ex eo, quod Valorem Moralitati inesse, simpliciter concessi, evincere velle, me concessisse, Valorem Moralitati per modum Formalis Rationis inesse; Vel saltem per tacitam Principii petitionem illud supponere, quod à me constantissimè negatum fuit, nempe Moralitatis Formale Valorem esse, nõ minùs, quàm Calor Calidi Forma existit; citra quam Principii petitionem utique ἀπὸ πωρ colligitur, Valorem per modum Formalis Rationis Moralitati inesse, eò, quòd ipsi inesse simpliciter pronunciatum est. Secundum, uti à Dno Zentgravio adducitur & communiter à Logicis exponitur, verissimum est: Veritatem scilicet Propositionis*

sitionis in Identitate prædicati cum Subiecto, non reali tantum, sed etiam nonnunquam ( addo semper) rationis fundari; interim exceptionem meam non ferit, quæ Propositiones has; *Calidum intentum augeat Gradus Caloris, & Calidum remissum Gradus minuit*, nõ falsas, sed tautologicas duntaxat dixerat; Quamquam nec sic omnes Identicas pro tautologicis & nugatoriis haberi velit, sed istas solummodo, quæ Rationis Ratiocinantis à Scholasticis dicuntur, ad quas cum *Scharfius, Slevogtus* aliique Philosophorum Lutheranorum, etiam has referant, in quibus e. gr. Definitio de Definito prædicatur, scire repoterat, me non in thesi & ex rei veritate sed ex hypothesi horum scripsisse, Propositiones modo dictas tautologicas esse. *Vide Scharfium Metaphys. Exempl. Lib. 2. cap. 16. pag. 174. & Slevogtum Diff. 1. de Prædicatione Thes. XI. p. 6.*

Ad primam Exceptionem, Responsioni ejus Directæ oppositam, postulat à me Autor, *ut ostendam, quomodo ista Responsio ejus à janua aberrat, quod hoc pacto ostendo: Admiseram ego Orig. Moral. 138. Valorem, qui Agenti etiam semota lege inesse à Zenignavio dictus fuerat, & secundum quem æstimatur quis, ex quo principio, & quo in statu constitutus, aliquid egerit, de Orig. Juris Natur. p. 344. gradus quidem Moralitatis, de qua isto loco sollicitus eram, h. e. Moralitatis Subjectivæ augere vel minuere, non tamen Formale ejusdem Moralitatis exprimere. Ad quod Zenignavius excipit; *Nego, ipsum Valorem auge-**

H 5 *re vel*



re vel minuire Gradus Moralitatis (subaudi præcisè acceptæ) cum ipsa sit Moralitas formaliter, intellige eam, quæ à Moralitate Subjectiva & Objectiva præscindit. Quâ ratione, quod ego de Moralitate Subjectiva affirmaveram, ipse de Moralitate, à Subjectiva & Objectiva præscidente, negat, sicq; omninò à Janua exceptionis meæ aberrat.

*Ad Secundam, miratio animum Dni Zentgravii subit, qui non observaverim additum rø per se, sicque ab eo tantùm doceri, Valorem, per se consideratum, non augere vel minuire gradus moralitatis, Quia forma Rei, quâ forma, non auget gradus, Formâ quâvis etiam Accidentium cõditiõne consistente, licet interim non neget formam, qua talis est, gradus augere vel minuire auctore dici posse. Append. pag 112. Sed miratio denuò animum meum subit, à Dn Zentgravio non observatum fuisse, quod tamen typis exscribendũ curavit, me formaliter addidisse, quem terminum hõc locò cum rø per se coincidere res ipsa perorat. Etenim etiam Valor, iste nempe, qui Agenti inest, & secundum quem æstimatur, quis, ex quò principio & in quo statu constitutus egit, per se & in forma sua consideratus, cum totus ex gradibus constet, gradus auget vel minuit, idemque omni Rei, cujus Essentia seu Natura gradibus absolvitur, competit; cum intelligi non possit, quo pacto res aliqua quantita quantã est, gradibus tantùm constet, & tamen non forma ejus, in gradibus collocata, quâ talis & per se gradus augeat mi-*

at minuatvè. Interim Formas ἐσ ἀτόμωσ confistere, de istis rebus rectè affirmat Aristoteles, quarum natura non gradibus, sed determinacis Essentiis absolvuntur.

*Ad Tertiam deprecatur, ne alienam sibi sententiam affingam, & exinde contra ipsum insurgam; Nimirum ne tribuam ei, à se dictum: Valorem per se intensum & remissum, ne quidem augere vel minuere gradus moralitatis, cum hoc nullibi dixerit, disertè verè de Valore præcisè, h.e. absque intensione spectato, & quâ formæ tantum indolem habet, locutus fuerit. Hic verò ego deprecor quàm maximè, ne Vir Optimus sibi persvadeat, me, tale quid à se dictum esse, alicubi asseruisse; si enim asserui alicubi, quæso doceat, ubi hoc factum sit. Ita verò ego solummodò arguo: Quod si Valoris Essentia & Forma gradibus tota absolvitur, quò non per se gradus augebit vel minuet? Si autem per se & quatenus forma gradus non auget vel minuit, quò per se Moralitatem, ex nudis gradibus constatam, formaliter & totam constituet? Et ut itidem me Verbo expediam: *Omnis Valor* (puta quâ talis) *certis gradibus constat* (totidem verbis id asserente *Zenigravio* sub finem §. 7. p. 133.) Quidam Valor formam Moralitatis à Subjectiva & Objectiva præcisè, itidem certis & nudis gradibus absolutam, constituit. E. Quoddam, quod formam Moralitatis, à Subj. & Objectiva præcisè, itidem certis & nudis gradibus absolutam, constituit, quâ tale,*

tale, certis gradibus constat; Et per Consequens, quædam forma, quæ talis, gradus auget minuitve. Quod erat demonstrandum.

S. VIII.

**A**rcem causæ rursus attingimus, seu totius Disputationis Cardinem, nempe: *Anne* Moralitatis Subjectivæ, à qua Agens Moralitatis, i.e. vel bonus vel malus denominatur, & vel laude, ac præmio, vel vituperio ac pœnâ dignus censetur, Formale existat. Quod evidentissimâ Ratione negandum probaveram, quia actio in se & bona & mala esse potest, indeque certo modo valida, propter quam tamen Agens nec præmium nec pœnam meretur, e.g. Actio tam bona quam mala, cujus ignorantia eaq; minùs culpabilis Causa existit. Hanc Rationem omnium oculos soliditate suâ perstringentem, tantò majori cum impetu atque conatu impugnandam aggressus fuerat *Cl. Zentgravius. in Coroll. Apolog.* quantò ipsi minùs expugnabilis videbatur, idcirco in multitudine Responsonum, quas præter omnem necessitatem cumulaverat, & ad Sacrum Septenarium Numerum adauxerat, præsidium suum quæsiturus. Annotaveram ego delictum in Philosophiam commissum, quæ Entia præter necessitatem haud multiplicanda esse sedulò & gravissimas ob causas inculcat, indeque quo pacto septenarius Responsonum numerus ad Ternarium, citra ullam Causæ, à *Dn. Zentgravio* defensæ, jacturam revocari posset, ( multò certè commo-  
dius,

dius, quàm Subjectiva & Objectiva Moralitas ad Unum Valorem reducuntur ) ostenderam *Coroll. Antapolog. p. 121. Edit. Lentgruv.* In quo etsi nihil inveniatur Auctor, quod culpam dignum sit, imò quòd non à quovis ingenuo applausum & gratias mereatur; tamen ne videatur etiam sic aberrasse gratiarum Actionis locò, *prolixum*, quod vocat. *dicendi genus suum*, ita excusatum est, ut me inter istos referat, qui vel contra mentem responsiones ejus pervertunt, vel eas non satis capiunt, vel insidiosè latebras illarum beneficio sibi quærunt, quibus rebus invitatus cogatur aliquando diffusè mentem suam explicare. Etsi verò per me liceat *Dn. Lentgruvio* nexos suos quovis liberali artificio obtegere, dolet tamen animus, quod hoc locò *Vir Optimus* semet parum vel nihil excusandò, me interim tam graviter præter omnem meritum incuset, uti res ipsa paulò post docebit; Dico se parum vel nihil excusandò: Nam prolixius dicendi genus perversioni atque infidiis, quin ipsi quoque obscuritati, præ isto, quod rem justis verborum limitibus adæquat atque ediscrit, tantò magis expositum est, quantò certius multitudini Verborum vanitatem inesse novimus, juxta sapientissimi Regis effatum. Quamquam & in hac ipsa tam gravi licet accusatione, Auctori condonanda, adhuc promptior forem, si exceptiones meas septuplici Responsioni ejus oppositas, paulò attentius rimatus esset, vel rimari voluisset, neque istius, cujus me postulat, i. e. vel per-

versio-

versionum, vel percipiendi defectus, vel latebrarum insidiosè quæsiturum reus ipse evaderet, per consequens, turpitudini obnoxius, quæ ex culpa Doctorem redarguente, in eundem redundare solet. At ut Lectori de re tota decernere tantò magis in proclivi sit, haud pigrabor septem. *Da. Zentgravii* Responiones paulò antè allatæ rationi meæ, (quæ Valorem, Moralitatis istius, à qua Agens Moralis denominatur, & vel præmio vel pœnâ dignus censetur, Formale haud esse, evincit) oppositas, denuò unà cum exceptionibus meis, singulis Responionibus annexis, in apuricum producere, atque sic quæ novissimè ab eodem singulis regesta sunt, paucis insuper examinare.

Responionum istarum Prima ita se habet: *Ratio allata non nostram ferit sed Baronis sententiam, cui Moralitas est Bonitas aut Malitia: Cum enim Valorem ego non habeam pro Nomine Communi, quò duobus Conceptus Contrahentes Bonum scilicet & Malum exprimuntur, sed pro Conceptu Universaliori & Generico, ab omni Moralitate etiam Subjectiva abstracto, hac verba mihi opponi non posse manifestum est.* Exceperam Rationem allatam eò ipsò Autorem ferire, quia Bonaventuram ferit: Nam si ista (*Zentgravio* iudice) Bonaventuram propterea impugnat, quod hic Moralitatem in Bonitate & Malitia collocat, utique & Autorem Valoris, qui Valorem pro Conceptu generico omnis omninò Moralitatis, per Consequens Bonitatis & Malitiæ habet:

habet: Ad hanc Exceptionem respondet novissime (a) Hic insidiosè omittitur τὸ UNIVERSALIORI, & additur τὸ OMNINO, quasi & Subjektivam & Objectivam Moralitatem à me pro Speciebus quoque Moralitatis haberentur, quae tamen modum tantum certum mihi dicere judicantur, non Species, quò numerò Bonitas & Malitia veniunt, ut supra monui. (b) Si Valorem habeo pro Conceptu Communi & Universaliori Moralitatis Subjektivam & Objectivam, Generico item Bonitatis & Malitiae, non eo ipso me ferit, qui Bonaventuram propterea impugnat, quod is Moralitatem in Bonitate & Malitia collocat. p. 134.

Ast, Nobiliss. Dn. Zentgravi, perpende ipsemet, quàm anxie Responsonum harum Primam, vel mentem meam pervertat, vel eam non satis cavat, vel denique (quod se omnium clarissimè prodit) ejus, ceu conciliatoris beneficiò, insidiosè latebras quærat. Arguis enim insidiosè omitti τὸ Universaliori, factâ mentione solius Conceptus Generici: Num verò unquam Conceptus Genericus absque Universalitate est? Aut Genus, non jam eò ipsò, quia Genus, alterò Universalius censendum? Num qui solius Conceptus Generici mentionem facit, Universalem insidiosè omisisse dici jure poterit? At instas: Cur τὸ Omnino additum? Scilicet eum solùm ob finem, Ut appareat, à me Subjektivam & Objectivam Moralitatem non minùs pro Speciebus Moralitatis, atque Bonitatem & Malitiam haberi, quæ interim Subjektivam

*jectiva pura & Objectiva Moralitas, Modos tantum certos Moralitatu mihi dicere judicantur, non autem Species.* Equidem non possum hic, quin in memoriam *Dn. Zentgravio* revocem, quid quondam fidei nostræ, (Christianam intelligo) Con sanguineus communis, *B. Lutherus* responderit, cum ipsi à nonnullis objiceretur, quod Verba *Græca* *versic. 28. cap 3. ad Roman.* λογίζομεθα ἐν πίστι δικαιοσύνην ἀνθρώπων χάρις ἔργων νόμου, ita transferendo: So halten wir es nun/ daß der Mensch gerecht werde ohne des Gesetzes werck/ allein durch den Glauben; Vocem *Allein* in Græco haud occurrentem, addidisset; Nempe π' *Allein* expletivam solummodo esse particulam Germanicæ Lingvæ propriam. *Vid. Tom. Luth. V. Jenensem Sendbrieff vom Dollmetschen und Fürbit der Heiligen pag. m. 139. Editum Ann 1530.*

Idem *primo loco* responsum esto *Dn. Zentgravio* respectu adjectæ Voculæ *Omnino*, in Latina lingva expletivæ, idque potiori multò jure, utpote cui non potest ignotum esse (a) me cum ejus mentem exponere satagerem, non in transferendis Bibliis S. occupatum fuisse, quo in negotio cautiùs agere potuisset *Vir Dei B. Lutherus*, nec ansam calumniandi Adversariis supeditare (b) Voculam *Omnino* à semetipso ceu expletivam adhibitam retro fuisse quando, *PERVELIM OMNINO SCIRE* ait *s. 3. pag. 136.* in fine (c) Eandem Voculam *OMNINO* à se meis Verbis contra mentem meâ alicubi insertam esse, nempe

S. f.

§. 5. pag. 129. ubi relinqui ait, se non idem Omnino cum Scoti Interprete Dn. Pufendorfo opposuisse; quasi verò ego alicubi ita disertis verbis scripsissem. Addo *Secundò*: Cuinam mortalium nõ planè æquipollentes videbuntur hæ duæ propositiones: *Habeo ego Valorem pro Conceptu Universaliori & Generico, ab omni Moralitate etiam Subjectiva, abstracto*; Et: *Habeo Ego Valorem pro Conceptu Generico, ab omni omnino Moralitate etiam Subjectiva, abstracto*. Adeò Dn. Zenzgravius vel mentem meam pervertere satagit, vel eam non satis capit. *Adhuc instat*: 1º UNIVERSALIORI non fuisse omittendum, nec 2º OMNINO fuisse addendum, quia Valorem pro Universaliori Conceptu respectu Moralitatis Subjectivæ & Objectivæ, non verò pro Generico habet; Item pro Generico quidem Omnis Moralitatis, nempe quæ Bonitas & Malitia dicitur, sed non omnis Omnino Moralitatis, quò etiam Moralitas Subjectiva & Objectiva pertinent, licèt Modorum dundaxat non Specierum rationem absolvant. *Resp.* (a) Provoço ad ipsa Dn. Zenzgravi verba expressa hæc: *Cum enim Valorem ego non habeam pro Namine Communi, quo duo hi Conceptus contrabentes, Bonum scil. & Malum exprimentur, sed pro Conceptu Universaliori & Generico ab omni Moralitate etiam Subjectiva, abstracto, hæc verba mihi opponi non possent manifestum est*; Et nunc quæro: *Anne ulli hominum verborum horum sensus hic videri possit? Ego Valorem non habeo pro communi*



ni nomine, sed habeo pro conceptu tantum Universaliori respectu Moralitatis Subjectivæ & Objectivæ, ceu Modorum, non Specierum Moralitatis; interim pro Conceptu non Universaliori tantum, sed in simul Generico, respectu Bonitatis & Malitiæ, ceu Specierum non Modorum Moralitatis. Annon, *Clariff. Zentgravi*, ita respondendo evadendi latebras quæris? non dicam tamen Infidiosè; cum facillè detegi queant. (b) Qui Valorem pro Conceptu Universaliori respectu Moralitatis Subjectivæ & Objectivæ habet, non potest non pro Generico eum habere. (c) Qui Subjectivam & Objectivam Moralitatem pro Modis Moralitatis, ceu Universalioris conceptus, habet, hic eas pro speciebus habet: Nam Modi in respectu ad Universalio rem Conceptum sic dicti, Modi Contractivi sunt, indeque Species.

Jam ( ut ad Secundam *Zentgravi* Responsionem deveniam ) suppositò ( 1. ) Bonitatem & Malitiam *Baroni* non esse Moralitatem, à qua Agens Moralis denominatur, idque propterea, quòd Actio in se Bona & Mala esse potest, propter quam tamen agens nec præmium nec pœnam meretur, hincque per Consequens suppositò ( 2. ) Valore à *Dn. Zentgravi* vel pro Universaliori & Generico Conceptu Moralitatis omnis, etiam Subjectivæ ( quod Verba ejus postremum citata, & in *Carollario Apolog. pag. eadem 171. in medio exstantia*, loquuntur ) vel pro Generico Malitiæ & Bonitatis qui-

quidem, pro Universaliori autem duntaxat, non Generico Moralitatis Subjectivæ & Objectivæ haberi, quemadmodum in præfens in novissima *Appendice*, p. 134. circa inis. contendit; manifestò consequitur: (a) Valorem *Dn. Zensgravi*, à Bonitate & Malitia ceu Genus abstractum, non esse Moralitatem, à qua agens Moralis denominatur: Quia Genus Valor, totum potentiale, à Speciebus Bonitate & Malitia, partibus illius totius abstractum, non potest plus dicere, quàm Species hæc duæ seu partes simul acceptæ, indeque Moralitatem, à qua Agens Moralis denominatur, non magis constituere, quàm Species, quæ istam constituere dictæ sunt. (b) Eo ipso, dum Sententia, Bonitatem & Malitiam, Species Valoris, Moralitatem, à qua Agens Moralis denominatur, esse contendens (quæ opinio *Baronis* est) hac ratione in contrarium allatâ, rectè impugnatur, quòd Actio in se bona aut mala esse possit, propter quam tamen agens nec præmium nec poenam meretur; insimul Sententiam, Valorem, Bonitatis & Malitiæ Genus, Moralitatem à qua Agens Moralis denominatur, constituere asserentem, (quæ *Zensgravi* Opinio existit,) per eandem rationem rectè impugnari.

Iterum *instat Dominus Zensgravius*: Valorem non tantùm pro Generico Conceptu Bonitatis & Malitiæ, sed etiam pro Universaliori Conceptu respectu Moralitatis Subjectivæ & Objectivæ

vae haberi, indeque Subjectivam Moralitatem, seu illam, à qua Agens Moralis denominatur, constituere posse, neque per Consequens, dum Bonitas & Malitia Baronum impugnantur, eadem Operá Valorem suum destrui. *Resp.* Valorem à Subjectiva & Objectiva Moralitate ceu Universaliorē indeque Synonymicum abstrahi nequaquam posse, idque eò, quod duæ hæ Moralitates, secundum istud nomen Valoris consideratæ, æquivocata sint, quorum Conceptus Universalior non magis est Valor, quàm Gallus respectu hominis & bruti, vel risus respectu hominis & praetorum, uti supra evictum. Undè jam & *κατά δύναμιν*, quando *Dn. Zentgravius* ita pergit: *Quemadmodum enim qui oppugnat affirmantem Animalitatem consistere in Rationalitate & Irrationalitate, non oppugnat eo ipso illum, qui eandem, in esse Sensitivo positam contendit, ita qui impugnat Bonaventuram, quod is Moralitatem in Bonitate & Malitia collocat, non hoc ipso ferit Zentgravius, qui Valorem Formalem Rationi Genericam respectu Bonitatis & Malitia esse disputat.* Etenim evincendum primò erat, Valorem *Dn. Zentgravius* non tantum Genericum Conceptum Bonitatis & Malitiz, sed etiam Universaliorē Univocum respectu Subjectivæ & Objectivæ Moralitatis existere. Quod quamdiu non evincitur, non cadit, sed firmo satis talo persistit, quod à me additum est in *Coroll. Apolog.* *Qui oppugnat partem in Barone*

rone (intellige Bonitatem & Malitiam, Species  
 Valoris, sub se, ceu aliam partem, Modos duos,  
 Objectivam nempe & Subjectivam Moralitatem,  
 comprehendentis) ille oppugnat totum in *Zent-*  
*gravio respectu illius partis.* Neque est cur ab  
 ipso quaeratur: Num quod negatur de Specie, illi-  
 cò negetur de genere? eoqve nomine ad *Porphy-*  
*rium & Aristotelem* provocetur: Nam non à Ne-  
 gatione Speciei ad Negationem Generis proce-  
 dimus, quando impugnandò *Baronis* Bonitatem  
 & Malitiam unâ operâ *Zentgravii* Valorem im-  
 pugnari dicimus, sed à Negatione omnium Spe-  
 cierum ad negationem Generis, atq; impugnan-  
 dō cū Malitiam tūm Bonitatem, quas duas, so-  
 las *Zentgravius* pro Speciebus Valoris habet, im-  
 pugnari simul Valorem ipsum, Genus harum,  
 Specierum, innuimus. Præsertim, cū, quæ præ-  
 terea pro Speciebus Valoris venditari possent,  
 nempe Moralitas Objectiva & Subjectiva, non  
 Species Valoris, sed nuda Æquivocata existant.  
 Hòc autem (scil. à Negatione omnium Specie-  
 rum ad negationem generis procedendum esse)  
 Doctrinæ Porphyrianae & Aristotelicæ Dogma  
 aliud magis congruum excogitari posse dixerit  
 nemo, qui Porphyrii *Isagogen* & Aristotelem vel  
 à limine salutavit, perqve nudam transennam  
 inspexit.

Quamobrem Ratio mea, *Baronis* Malitiæ &  
 Bonitati opposita, Valorem *Dni Zentgravi* tam

du ferit, quàm istum hic pro Universalì Conceptu habet; Si autem eundem pro *Communi tantum Nomine* habere incipiat, adhuc multò manifestius est, eum Mortalitatìs istius, à qua Agens Moralis denominatur, Formale constituere non posse, quo de tamen serra disputationis nos inter reciprocatà potissimùm fuit.

§. IX.

**D**Enique à Thesi, quàm hactenus defendi, Valorem non esse Formalem Rationem istius Moralitatìs, à qua Agens Moralis denominatur, ad Rationem, quàm eandem suffulciendam putavi, tela tandem convertit *Nobilus. Dn. Zentgrafius*. Erat autem Ratio hæc: Dari Actionem in se vel bonam vel malam, indeque dicto modo validam, ob quam tamen agens nec præmium nec poenam meretur, qualis est Actio tam bona, quàm Mala, cujus ignorantia eaque minus culpabilis, *Causa* existit, *Orig. Moral. pag. 138. §. 8.* Hujusmodi Actionem & bonam & malam esse posse, indeque dicto modo validam, tribus porro confirmaveram Ratiociniis *Coroll. Anapolog.* quorum *primum* ab Hypothesi *Dn. Zentgrafio* & mihi communi desumptum est, Dari Objectivam & Subjectivam Moralitatem inter se distinctas, & ita infert: Si dantur Objectiva & Subjectiva Moralitas inter se distinctæ, tùm Actio, cujus ignorantia eaque minus culpabilis *Causa* existit,

per

per se sola potest dici & concipi **Moralis**, **Bona** vel **Mala**, indeque certò modò **valida**, etiamfi à **Subiecto Moraliter agente**, h. e. **sciente Actionis Circumstantias**, **peracta** haud sit; Si verò absque tali **Subiecto** non potest **bona** vel **mala** dici aut concipi, tùm **manifestum est Objectivam Moralitatem** per se solam non absolvere **Moralitatis rationem**, neque à **Subiectiva diversam esse**. *Secundum*, ab ipsius **Boni & Mali, Moralitatis Objectivæ Specierum natura**, nequaquam **humanæ Scientiæ ignorantie**ve, sed **plerumque Divinæ Naturæ & Voluntati** ceu **Origini** transcribenda, **petitum, Hypothesi**, vix à quoquam nisi *Carneade* quodam in **dubium** vocanda. **Hoc ita colligit**: Si datur **Bonum & Malum Antecedenter** ad **Scientiam & Ignorantiam hominis**; tùm **Actio**, **cujus ignorantia eaque minùs culpabilis Causa existit**, potest nihilominus dici & concipi **Moralis**, **bona** vel **mala**, indeque certo modo **valida**, etiamfi à **Subiecto Moraliter agente**, h. e. **Actionis Circumstantias sciente, peracta** haud sit; Si autem absque tali **subiecto Actio**, **cujus ignorantia eaque minùs culpabilis Causa existit**, non potest **Moralis** **bona** vel **mala**, indeque certo modo **valida** dici & concipi, tùm **Bonum & Malum** non dantur **Antecedenter** ad **Scientiam & Ignorantiam hominis**. *Tertium* **hypothesi Moralitatis passim recepta innisum**; **Etiam Juris ignorantiam** uti **planè invincibilem ita**

minus culpabilem dari, hoc pacto concludit: Si datur Juris Ignorantia planè Invincibilis, & sic minus culpabilis, tum Actio, cujus ignorantia, eaque minus culpabilis Causa existit, potest nihilominus dici & concipi Moralis, Bona & Mala, indeq; certo modò valida, etiam si à Subjecto Moraliter agente, h. e. Actionis Circumstantias sciente, peracta haud sit; Si autem absqve tali Subjecto non potest dici aut concipi Moralis, tum non datur Ignorantia Juris planè invincibilis sicqve minus culpabilis. Ratiociniis hisce, propterea in Syllogismorum Còditionalium formam omnium evidentissimam, à me in præfens redactis, ut impostertum eò melius à *Dn. Zentravio* capiantur, aut perversioni minus obnoxia sint, respondet *Autor Append. p. 134. v. 135. §. 9.* Ad Primam regerit: *Contra verò, inquit, Dico, Hypothesis habens in se relinqui salvam, si vel maximè negetur, plenam & perfectam Moralitatem; prout nimirum illa etiam se habet ex parte Subjecti agentis in actu aliquo exariri.*

*Ad Secundam: Verum quidem est, quod discrimen boni & mali Naturalis in Dei Natura, non quidem quia Omnipotens, (quod Socinianismum spectat,) sed quia Sancta & Justa, fundetur &c. sed quod ignorantia & scientia ad Valorem & sic ad Moralitatem, cujus species demum sunt, Bonitas & Malitia in genere Naturæ talis, nihil conferat, exinde non sequitur.*

*Ad Tertiam: Lubens concedo, ipseq; sic doceo, quod secundum gradus Ignorantia minus culpabilis etiam de gradibus Moralitatis, prout illa se tenet ex parte agentis, judicari debeat.* Sed nunc veniam mihi dabit, *Vir Optimus*, si scapham scapham salutare, sicq; Responiones has ejus omnes, unò eodemque Elenchi Ignorationis nomine proprio insignire sustineam. Quoniam non disputatur (1) Anne Hypothesis de Moralitate Objectiva & Subjectiva salva relinqvatur, si vel maximè negetur, plenam ac perfectam Moralitatem, prout nimirum illa etiam se habet ex parte Subjecti agentis, in actu aliquo exoriri. Ecqvís enim Moralitatem tam plenam & perfectam in Actu aliquo exoriri vel somniaverit, qvális est ea, quæ insuper se ex parte agentis habet? hoc est, (ut clarius loqvatur) Ecqvís est, qvís Moralitatem Objectivam per se solam tam plenam & perfectam vocitaverit, qvám cum Subjectiva simul acceptam? Nec disputatur (2) Anne Verò eò, qvòd: discrimen Boni & Mali Actualis in Dei Natura, sive qvàm Omnipotens [quod dicit Autor Socinianissimum spirare.] sive qvàm Omnipotens, & sancta, & justa existit (qvæ mea Sententia est, *Vid. Orig. Moral. p. 65. in fin.* & alibi passim) fundetur Ignorantia & Scientia ad Valorem & sic ad Moralitatem, cujus demum species Bonitas & Malitia in genere morum sunt, nihil conferat: Qvís enim unquam hoc asseruit? Nec deniqve disqviritur, (3) Anne secundum gradus Ignorantiæ minus culpabilis etiã de gradibus Moralitatis, prout sese tenet ex parte



agentis judicari debeat: *Quis enim & hujusmodi quid in dubium vocaverit? Sed verò disputatur:*  
 (a) Annon, si Actio, cujus ignorantia eaque minus culpabilis Causa existit, per se ipsam negetur esse Moralis, i. e. bona vel mala, indeqve certo modo valida, hypothesis de Objectiva & Subjectiva Moralitate à se invicem diverfis, evanescat.  
 (c) Anne Ignorantia & Scientia Subjecti ad Valorem & Moralitatem Objectivam, cujus Species Bonitas & Malitia sunt, quicquam conferat? (3)  
 Anne Ignorantia Juris uti planè invincibilis, ita minùs, i. e. non culpabilis seu Inculpabilis detur? Quorum Primum & Ultimum affirmandum, medium verò negandum duxeram, indeque evincendum, pro quo unicè disputabatur: Dari Actionem in se Moralem vel bonam, vel malam, indeq; certo modo validam, ob quam tamen agens nec præmium nec pœnam meretur; Sicque per Consequens: Valorem non esse formalem rationem Moralitatis Subjectivæ, in locum Impunitatis Pufendorfianæ substituendum. Quod proinde tantisper inconcussum & firmum relinquitur, donec ratiocinia allata, solidè evertantur, non autem Elenchi Ignorantionibus frustra impetantur. Interea, solò Ratiocinio primo inconcusso manente, scil. Actionem, cujus Ignorantia eaque minus culpabilis Causa existit, per se solam posse dici & concipi Moralem, bonam vel malam, indeq; certò modo validam, quia alioquin hypothesis inter Objectivam & Subjectivam Moralitatem inter se diver-

diversas evanescit; sponte sua porro sequitur, quod inde eruiamus, *Coroll. Antapolog.* tum Subeuntem nempe huiusmodi Actionem, ex Agentium Moraliu, h. e. ex Agentium bona vel mala, indeque certo modo Valida, Numero, non omnino deturban- dum esse; tum Actionem talem Valore omni haud- quaquam destitui. Neq; istis vel minimum infir- matur seu infringitur, quæ per continuatam Elen- chi Ignorantem à Domino Zentgravio de gradi- bus Ignorantiae minus culpabilis, Moralitatis Actionis, prout illa se ex parte Agentis habet, indi- cibus; item de Proæresi Principio Actionum Mo- raliu Adæqvato ex *Rachelio*; denique de Prin- cipio actionis moralis Morali, i. e. cognoscente & sciente singulas Actionis Circumstantias, ex *Philip- po à Trinitate* prolixius differit, *Append. pag. 135.* atque ex omnibus inferre conatur, Actionem, cu- jus ignorantia planè invincibilis indeque planè non culpabilis, Causa existit, haud Moralem esse, nec subeuntem talem Actionem, Moralem agentè salurandù. Nam, utut cuncta à Zentgravio ex Au- toribus allata verissima sint; utut insuper certò modo à Veritate haud abludant, quæ sic inde colli- git: Ergo Actio, cujus ignorantia planè invinci- bilis indeq; planè nõ culpabilis, Causa existit, haud Moralis est, puta Moralitate Subjectiva, nec ille, qui talem Actionem subit, agens Moralis, itidem Mora- litate Subjectivà; interea remanet, pro quo solo pu- gnamus, Actionem modò dictam Morale esse quæ Moralitatem Objectivà; item subeuntem eandem, inter,

inter Agentes Morales quàm eandem Moralitatem, referendum; denique Actionem, ab hujusmodi Agente profectam, certo modo Validam, i. e. vel bonam & malam in se esse, nec proinde omni Moralitate distitui, dummodo Objectiva Moralitas à Subjectiva diversa sit, & hâc licet alicui negatâ, adhuc ista eidem competere possit, id quod communis nobis hypothesis extra omnem dubitationis ardeam reposuit.

Ut adeoque nunc saltem nullo negotio intelligat, nisi intelligere omninò detrectet, sibiq; ipsi fumum vendere gestiat, (quod nimis liberaliter & nescio an non contra omnem in præfatione de humanitate sua Lectori factam fidem, mihi transcriptum it.) quomodo in auras abeant, quæ III. & IV. loco à se responsa sunt *Coroll. Apolog.* nec quæquam minùs quàm me feriant, quæ V. VI. & VII. ab eodem notantur, ceu nusquam & nunquam à me in dubium vocata. Ubi id ipsum persentiscit *Dnus Apologista*, aliud ex iis concessis subsumit, mihi sic ictum mortiferum illaturus, qui proinde qualis sit, non dissimulandum ducimus, ne sibi falso pervadeat Autor, me certò devictû esse, nec minus in ejus, quàm Argentoratum in Christianissimi Regis potestatem redactum. *Si scienter*, inquit, & deliberatè Agenti Valor competit. antecedenter ad Imputabilitatem, utiq; Valor potius quàm Imputabilitas pro Formali, quod omni Moralitati commune est, habebitur. Ictus hic, plus unò nomine Impotens, de Viribus infligentis, tantum non omni-

omnino poſtratis, haud obſcurum præbet testi-  
 monium. Etenim, Antecedens Syllogiſmi hujus  
 Cõditionalis (a) per Petitionem Principii tacitam  
 ſupponit, tantum ſcienter & deliberatè agenti Va-  
 lorem competere, non autem Valorem quempiam  
 agenti per ignorantiam invincibilem; cujus tamen  
 contrarium hæctenus ſuſtinuimus, & ex *Blasio à*  
*Conceptione* confirmavimus, ad quod nihil respon-  
 ſum eſt. Addimus nunc inſuper *Giſb. Voet. Diſp.*  
*Select. Part. 3. Diſp. de Ignorantia part. 2. pag. 638.*  
 (b) Per Petitionem Principii apertam aſſerit, Va-  
 lorem Moralem Agenti tribui poſſe, antequam ipſi  
 tribuitur Imputabilitas; de quo ipſo adhuc liti-  
 gatur, quodque toti litigio noſtro initium dedit,  
 me cum *Pufendorſio* exiſtimante, Agentem non  
 poſſe dici Bonum vel Malum, indeque Moraliter  
 ſeu Validè egiſſe, niſi ipſi competat Imputabilitas,  
 i. e. ut clarius loqvar, non actû ipſi aliquid im-  
 putandum eſſe, niſi imputari poſſit. Nec Conſe-  
 quens Syllogiſmi Conditionalis à Principii Petitione  
 aperta immunis eſt, Valorem omni Moralitati  
 Communem (puta Synonymicè) aſſerendõ, qui  
 tamen ratione Moralitatis Subjectivæ & Objectivæ  
 tantum æquivoci Nominis vices ſuſtinet, uti retrõ  
 probatum. Totus vero Syllogiſmus Inconſequentiã  
 laborat. Nam Reſpondeo (1) Indirectè (a) per  
 Inſtantiã: Si propterea, quod ſcienter & delibe-  
 ratè agenti Valor quiſpiam competit Antecedenter  
 ad Imputabilitatem, ille potius, quàm Imputa-  
 bilitas pro Formali omnis Moralitatis habendus  
 eſt;

est; tum etiam propterea, quod scienter & deliberatè agenti Sensitivitas competit antecedenter ad Imputabilitatem, ista potius quàm hæc pro Formali Moralitatis omnis habenda erit. (b) Per Retorsionem: Si scienter & deliberatè agenti Valor, à quo denominari bonus & malus potest, ante Imputabilitatem non competit, tum non Valor, sed potius Imputabilitas Moralitatis Subjectivæ Formale erit. *Resp.* (2) Directè (a) Non, quodcunque Agenti antecedenter ad Imputabilitatem competit, illud illico formale Moralitatis, vel simpliciter, vel potiori Jure quàm Imputabilitas evadit. (β) Ita demum spes affulgebit, Valorem vel Formale Omnis Moralitatis, vel Formale Moralitatis Subjectivæ, (qvo de adversus *Personæ dorsum* ab Autore disputandum erit,) evadere posse, si ab Autore probatum fuerit, vel Abstractionem Synonymicam à Moralitate Subjectiva & Objectiva non esse impossibilem, vel à Ratione nõ alienum, ut aliquis sive laude & Præmio, sive Vituperio & pœna dignus censetur, sicque Valor Personæ Agenti adscribatur, cui tamen Imputabilitas non competit. Dico notanter, ut *Valor Personæ Agenti* adscribatur, non *Actioni ejus*, ne sic incautè Moralitas Objectiva & Subjectiva, à se invicem diversæ, confundantur.

Cui Confusioni Irrationali prolixam operam navat *Clariss. Zentgravius*, quando sub finem totius Disputationis ostendere satagit, qvo pacto Imputabilitatis Rationem à priori, Valorem esse inde

indè rectè inferatur, quia Valor, Dignitas atque pondus, fundamentum proximum Imputabilitatis Moralis existit. *Sicut enim, inquit, Imputabilitas, ad laudem & Vituperium fundamentum est Bonitas & Malitia Moralis: Prius enim Bonum & Malum moraliter aliquid sit necesse est, antequam imputetur ad laudem vel vituperium; Fit enim hac Imputatio propter Bonum & Malum tanquam rationem à priori; Ita Imputativitatis præcisè ab imputativitate ad laudem vel Vituperium fundamentum est aliquid, Bono vel Malo commune & ab his Speciebus abstractum, quod est Valor, qui ad Bonum & Malum se antecedenter habens, proxime est determinabilis ad has species. In esse Morali, prout principia, qua Valorem determinant convenienti & inconvenienti ratione in actu concurrunt & cum illo uniuntur. Nam si actio nihil valet, etiam nihil moraliter poterit imputari.*

Equidem Ratiocinio hòc evinci fateor, (quod nosmet ipsi alibi docuimus, nec ullibi inficias ivimus, ) tùm Bonitatem & Malitiam Actionis in specie esse fundamentum proximum, cur ista laude & Vituperio digna sit & digna esse dicatur; tùm Valorem Actionis, à bona & mala abstractè, fundamentum proximum, cur ista Valida sit, & Valida esse dicatur; sed hæc Objectivam solummodò Moralitatem attingunt, hujusque Formalem Rationem Valorem esse innuunt, quod ceu verissimum ipse jam olim in *Originib. Moralibus* his conceptis Verbis confessus fui: *Bonitatem & Malitiam*  
*Baro-*

*Baronis, Valorem item Dn. Zentgravii dicere quidem Moralitatem, sed non eam, à qua Agens Moralitè denominatur, i. e. qua Agentem præmio & pœna dignum efficit; &c. verùm eam potissimum, qua Rei seu Objecto inest. p. 138. §. 8.* Intereà dicto ratiocinio non evincitur, quod evincendum est, nimirum tum Bonitatem & Malitiam Actionis in specie esse fundamentum proximum, cur Agens laude vel Vituperio dignus sit, & dignus esse dicatur; tum Valorem Actionis à Bona & Mala abstractæ fundamentum proximum, cur Agenti hoc sensu Synonymico, & non profus æquivoco, Valor competat, eidemque transcribatur. Enimverò ab Actione in se ipsa vel bona vel mala sicque certò modò valida, quam Agens edidit, hunc non illico vel laude vel vituperio dignum censendum evincit Actio, cujus Causa Ignorantia eaq; Invincibilis existit. Usq; aded, Actio aliqua vel bona vel mala indeq; certò modo valida, ab Agente peracta, propter hoc solum ceu proximum fundamentum, ipsi vel in laudem & præmium, vel in vituperium & pœnam cedit, quia eidem imputabilis est; Imputabilis autem ei esse rectè dicitur, quia ex Proximi ejus, ceu proximo Imputabilitatis fonte, profluxit.

S. D. G.













Österreichische Nationalbibliothek



